


# HUMANITAS

**Omnium gentium conventus de humanitate  
nostra aetate restituenda**



[www.conventushumanitas.eu](http://www.conventushumanitas.eu)



Veneror itaque inventa sapientiae inventoresque;  
adire tamquam multorum hereditatem iuvat: mihi  
ista acquisita, mihi ista laborata sunt; sed agamus  
bonum patrem familiae, faciamus ampliora quae  
accepimus: maior ista hereditas a me ad posteros  
transeat.

(Senecae *Ep. ad Luc.*, 64, 7)

Sotto il patrocinio dell'Istituto Italiano per gli Studi Filosofici, l'Accademia VIVARIUM NOVUM in collaborazione con la fondazione MNEMOSYNE e la società di giovani studiosi del mondo classico e delle discipline umanistiche PHILIA, organizza un convegno internazionale sull'umanesimo e i suoi legami col mondo moderno, che si terrà a Napoli dal XV al XXII luglio 2007.

Obiettivo del convegno è mostrare la vitalità che anche oggi conservano l'*humanitas* e le discipline umanistiche; il loro legame con le discipline scientifiche; la loro importanza per la formazione dei giovani, per l'amministrazione e la gestione della *res publica*, per la costruzione, insomma, d'una società più umana. Siamo infatti convinti che nulla possa esser ben fatto senza una vera formazione culturale e morale; così come siamo convinti che l'*humanitas* non riguardi una sola età del tutto separata dalle precedenti. Al contrario, intendiamo la cultura come coralità umana; un coro armonioso elevato nei secoli dalle voci di uomini grandi che, tesi tutti al bene del genere umano, han cantato insieme in una polifonica consonanza.

Crediamo, perciò, che le discipline umanistiche non debbano affatto essere riservate ai soli specialisti, ma debbano piuttosto esser patrimonio di tutti; così che, confrontando la nostra epoca con le precedenti e istituendo un colloquio perpetuo coi nostri *maiores*, possiamo più a fondo comprendere l'età nostra e la vita che oggi viviamo. Riusciamo infatti ad acquisir maggiore autocoscienza solo quando ci confrontiamo con coloro che nei secoli ci hanno preceduto, e nel contempo gettiamo fondamenta più solide per il futuro, simili a querce robuste che, per dirla con T. Zielinski, affondano le

## I

loro radici nel terreno non perché vogliono crescere all'indietro, ma per innalzare i propri tronchi, per estendere i propri rami, per generare gemme, fiori e frutti in abbondanza. L'*humanitas* infatti è come un patria a tutti comune, in cui gli uomini, pur divisi per lingua, leggi, religione, son tuttavia uniti da un vincolo comune che supera ogni distinzione. «*Studia humanitatis nuncupantur*», dice Leonardo Bruni, «*quod homines perficiant atque exornent*»; e liberali son dette tali discipline non solo perché degne d'un uomo libero, ma perché rendono l'uomo libero. Libero cioè dalle false opinioni, dal conformismo, dai pregiudizi, al punto che, «*nullius addictus iurare in verba magistri*», l'uomo si sforza in una tensione costante alla ricerca della verità. Ne consegue dunque che non possiamo consentire con coloro che, dediti alla sola ricerca del profitto, considerano un bene primario le ricchezze, da conseguirsi per vie lecite e illecite e, presi da un'ambiziosa sete di successo e carrierismo a tutti i costi, sono anche pronti a impadronirsi con spirito di rapina delle *res* altrui pur di soddisfare la smodata brama del proprio *ego*. Riteniamo i beni e le ricchezze non il fine, ma gli strumenti di cui l'uomo deve servirsi per il miglioramento delle condizioni materiali e spirituali del genere umano, e per questo non possiamo approvare un sistema in cui i più siano poveri e considerati alla stregua di burattini nelle mani dei più ricchi.

Coltivare le discipline umanistiche significa dunque, oggi come in passato, congiungerle con la *scientia rerum* e, soprattutto, coltivare l'*humanitas* tra gli uomini arricchendo colla cultura il proprio animo e per ciò stesso giovando agli altri senza ritirarsi, come un *doctor umbraticus*, in una torre d'avorio isolata dalla vita reale e dalle sue sfide: se i cultori di queste discipline abbandonano gli uomini non c'è da meravigliarsi che gli uomini a loro volta le abbandonino. I *verba* devono sempre dunque corrispondere alle *res* se non vogliono essere vuota retorica fine a sé stessa.

È vero, non ce lo nascondiamo: il mondo sembra volgere in tutt'altra direzione. Qualcuno forse dirà che questi sono i tempi e non si può far diversamente. A costoro noi rispondiamo *uno ore* con Agostino: «*Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora*».

*Veneror itaque inventa sapientiae inventoresque; adire tamquam multorum hereditatem iuvat: mihi ista acquisita, mihi ista laborata sunt; sed agamus bonum patrem familiae, faciamus ampliora quae accepimus: maior ista hereditas a me ad posteros transeat.*

(Senecae Ep. ad Luc., 64, 7)

*Instituto Philosophiae Studiis provehendis patrocinate, VIVARIO NOVO et opere fundato, cui nomen MNEMOSYNE foventibus, Sodalitate, quae PHILIA compendiariis litteris inscribitur ordinante, inde a die XV usque ad diem XXIII mensis Iulii a. MMVII in urbe Neapoli omnium gentium celebrabitur conventus de humanismo, qui dicitur, qua ex parte cum nostrae aetatis vita coniunctus est.*

*Nobis hunc conventum instruentibus illud propositum est, ut quam vitalis etiam nunc sit humanitatis ac bonarum litterarum vis appareat et exstet; quantum ipsa valeat ad iuvenum animos informandos; ad regendam administrandamque rempublicam; ad naturales quaestiones ratione quadam tractandas et via; denique ad humanum genus humanius faciendum. Est enim nobis illud persuasum, nihil sine vero animi cultu humanitateque bene atque honeste geri posse; neque humanitatem ad unam pertinere aetatem a superioribus dissitam disiunctamque; edi potius quasi ex vocibus omnium hominum quae per temporum saeculorumque decursum ad unum generis humani bonum intentae, inter sese consonaverint una concinentes.*

*Cum res ita se habeant, humanitas ac litterae nequaquam iis tantum colendae sunt, qui una conclusi provincia, rei uni peculiariter dant operam, sed ad omnes pertineant oportet, qui nostra tempora cum praeteritis comparantes, et perpetuum volunt cum maioribus nostris instituere colloquium, et nostrae ipsorum aetatis meliorem consequi intelligentiam. Quotiescumque enim nos cum iis, qui ante nos multis saeculis in his terris fuere, composuimus, tunc melius animi nostri vitaeque, quam cottidie exigimus, nobis consciū*

L

*fieri solemus, atque firmiora futuri temporis iacimus fundamenta, quasi robustissimae quercus, quae, ut ait Zielinski ille, cum radices in terram egerunt, noluerunt retrorsum regredi, at potius truncos sursum tollere, ramos late diffundere, gemmas, flores, fructus quam uberrimos edere. Est enim humanitas tamquam patria omnium communis, qua quidem homines inter sese lingua, religione, institutis diversi alii cum aliis omni discrimine longe remoto artissime coniunguntur. Studia humanitatis nuncupantur, iuxta Leonardi Bruni illud, quod homines perficiant atque exornent; ac liberales dicuntur disciplinae non modo, quod sint libero homine dignae, verum etiam quia hominem liberum efficiunt. Liberum sane ab omnibus praesertim opinionum commentis, ab illo turpissimo ac deformi rerum obsequio, quae identidem in more ac pretio videntur esse; atque adeo liberum animi iudicium faciunt, ut praeiudicatis quibuslibet opinionibus excussis atque sublatis, nullius addictus iurare in verba magistri, homo ad rerum veritatem totus contendat pro virili assequendam. Inde consequitur ut omnino ad eorum sententiam accedere nequeamus, qui prima mortalibus ducunt divitias sibi per fas et per nefas comparare, vitae tantum commoda insequi, in bonis etiam alienis praedari, honorum curriculum mala ambitione percitos repentine omni via, semita, tramite transcendere velle: nam facultates et opes instrumenta aestimamus vivendi, non fines, quos homines unos sibi praestituant attingendos; neque probare possumus eam terrarum orbem regendi rationem, qua exigua hominum manus copiis amplissimis affluat, ceteri vero omnes quasi neurospasta invisibilibus moveantur nervis privatoque paucorum inserviant compendio.*

*Is igitur humanas litteras bene colit, qui eas cum rerum scientia coniugare studet, neque taetricus doctor umbraticus suo sedet in museolo pulvere situque obductus, sed cum aequalibus suis in pulvere, in foro, in sole vivit cottidie identidem ita bene de se merens animum doctrina exornando, ut alios quam plurimos iuvare possit. Neque mirandum est, si homines a bonarum litterarum studiosis deseruntur, vicissim homines bonas derelinquere litteras. Verba igitur numquam sunt a rebus disiungenda, ne ore rotundo vacuas tantum volubilibus auris sententias effundamus.*

*At res, quae nunc sunt, omnino alio tendere videntur. “Saeculum est” dixerit quispiam, “ac saeculo parendum”. Nos vero uno ore cum Augustino respondemus: «Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora».*

A red square containing a white, serif capital letter 'L'.





## Quaedam scitu utilia

### Quomodo conventus participes acroasium sedes petere possint

Participes recta acroasium sedes illis quidem horis petere poterunt quae in rerum ordine agendarum indicantur ad orationes habendas; vel apud plateam a Dante nuncupatam, ubi Publicum Ephebeum situm est quod nomen a Victorio Emmanuele sumit (vulgo: Convitto Nazionale Vittorio Emanuele), convenire poterunt intra horam octavam cum dimidia, excepto Dominico die quo, sacris interesse volentibus hora septima et dimidia, nolentibus vero, octava et dimidia conveniendum erit, ut una ad acroasium sedes se conferant.

Oratores raedis longis suscepti ad sedes deducentur.

### Mensae argentariae

Multae sunt in urbis sinu mensae argentariae, ubi liceat et mandata nummaria periegetica et aliarum civitatum nummos permutare. Duae tamen propiores esse videntur Publico Ephebeo, quorum una iuxta viam a *Benedicto Croce*, in aedibus numero 25, altera iuxta viam ab *Henrico Pessina* nuncupatam, in aedibus numero 69 signatis sita est; utraque vero vulgo appellatur “Banca Intesa Spa” et patet, a Lunae usque ad Veneris diem, ab hora octava cum dimidia ad horam primam cum dimidia, et ab hora secunda cum dodrante ad quartam cum quadrante.

## Telephona

Telephona publica sunt in viis, et praesertim iuxta plateam a Dante et plateam ab Aloisio Miraglia nuncupatam. Ad telephonis publicis utendum plerumque schedulis opus est, quae in variis tabernis thermopoliisque vel etiam in diribitorio cursuali emi possunt. Ut peregre telephonice colloquaris necesse est primum numerum praeselectorium civitatis exterae componas, tum numerum quo urbs vel oppidum designatur, denique numerum eius quicum colloqui velis. Ut, exempli gratia, loquamur cum Titio, qui Londinii habitet, oportet continuate componamus:

numerum praeselectorium Britanniae	numerum, quo designatur sinus urbis Londiniensis	numerum eius, quemvocare cupimus
<b>0044</b>	<b>+171</b>	<b>+ ...</b>

A conventus scribis peti possunt omnium civitatum (et Europae et aliarum continentium) numeri praeselectorii.

## Aditus ad omnium gentium rete

In ephebeo publico a Victorio Emmanuele nuncupato, singulis diebus, ab hora octava usque ad nonam a.m., omnium gentium rete adire gratuito licebit; diebus vero XX, XXI, XII etiam ab hora prima usque ad tertiam postmeridianam.

Quod et hisce aliis in locis licebit, pecuniola tamen soluta:

- *Piazza Bellini, 74: Internetbar*; cottidie per integrum diem;
- *Piazza Cavour, 146: Internet Napoli*; ab hora decima cum dimidia a.m. usque ad horam nonam p.m. singulis diebus, Dominico vero die ab hora septima usque ad horam decimam p.m.;
- *Via Montesanto, 20: Internet Train Napoli*; a Lunae die usque ad Veneris diem ab hora decima a.m. usque ad horam undecimam p.m., Saturni vero die ab hora decima a.m. usque ad horam octavam p.m., Dominico denique die a meridie usque ad horam octavam p.m.

## De cursu publico

Proxima diribitoria cursualia sunt iuxta viam a *Vincentio Bellini* nuncupatam in aedibus numero 61 signatis, et iuxta plateam quae ab Aloisio Miraglia nomen sumit (vulgo: *Piazza Luigi Miraglia*). Utraque patet quotidie praeter diem Dominicum, ab hora octava cum dimidia a.m. ad horam primam cum semihora p.m., Saturni vero die usque ad horam duodecimam cum dimidia.

## Qua lingua utendum sit in conventu

Cum omnes ii, qui conventui intererunt veri similiter linguam Latinam calleant, haud abs re moderatoribus visum est eundem eligere sermonem, quo oratores in acroasibus uterentur suis: neque enim facile fieri poterat, ut ex tam multis linguis vernaculis in alias linguas orationes converterentur, neque opportunum utileque est visum verba a Latinitatis peritis ad homines sermonem Latinum item callentes facta alia lingua quam Latina proferri, praesertim cum omnes, qui huiusmodi omnium gentium atque nationum conventibus umquam interfuere, experti procul dubio sciant quanta Babelica confusio ex interpretibus ex tempore orationes summa linguae volubilitate saepe habitas convertere conantibus exoriri soleat. Cum igitur non sint multiplicandae linguae sine necessitate, omnes orationes acroasesque Latine fiant oportet.

In disputationibus vero atque seminariis agitandis interpretes praesto erunt, ad quos confugere licebit ut ex Italico, Gallico, Germanico, Anglico et Hispanico ex tempore convertant.

## De libris latinis

Inter conventum libri, qui ad renascentium litterarum artiumque scriptores operaque maximam partem pertinebunt, exhibentur et exponentur, quorum pars venalis proponetur, pars vero inspici tantum poterit.

## De diplomatis quae testimonio sint aliquem conventui interfuisse

Sub conventus finem omnibus qui nomine temperi dato interfuerunt diploma concedetur.

## De gustationibus inter orationum intervalla praebendis

Plerumque, iuxta rerum agendarum ordinem, bis in die, mane et post meridiem, gustationes promulsidesque inter pausas ministrabuntur, in quibus cuppedia, bellaria, propomata et lucuntes varii generis apponentur, aliaque huiusmodi gulae irritamenta, ad vires participum modice reficiendas. Potio arabica et Indica, suci ex pomis expressi aliaque potiones praesto erunt.

## Quis de rebus ad conventum pertinentibus docere possit

SEDES SCRIBARVM CONVENTVM INSTRUMENTVM

Academia c. n. *Vivarium Novum*

contrada S. Vito, 5, 83048 MONTELLA (AV) ITALIA

Telephoni numeri:     +39 320 954 79 01  
                              +39 0827 60 16 43  
                              +39 0817645081

TELISOGRAPHICI INSTRUMENTI NUMERVS

+39 081 7645058

INSCRIPTIONES ELECTRONICAE

[info@conventushumanitas.eu](mailto:info@conventushumanitas.eu)

[phratria.iuvenum@yahoo.com](mailto:phratria.iuvenum@yahoo.com)

RETIALES SITVS, QUI ADIRI POSSVNT

[www.conventushumanitas.eu](http://www.conventushumanitas.eu)

<http://philia.xf.cz/www>

## De urbis Neapolis historia

### De origine urbis

Urbis Neapolis origines fabularum tegumentis obvolvuntur. Narratur enim Parthenope, Sirenum pulcherrima, cum aegerrime tulisset Ulixem non esse Sirenum cantu allectum atque detentum, mortem sibi conscivisse; cuius corpus inventum esse dicitur in scopulis illius insulae, nomine Megaridis, ubi hodie Castellum Ovi situm est.

Graecorum coloni iam XI saeculo ad insulam Aenariam appulerunt, ubi sedes collocarunt suas; VII vero saeculo colonias deduxerunt Cumas; inde ad oras eius regionis pervenerunt, ubi nunc Neapolis iacet, ibique, in insula Megaride locisque vicinis oppidum condidere, cui nomen Parthenopes inditum est. In proximo monte arcem aedificarunt; in portu vero mercaturas exercebant.

### De Neapoli Graeca et Romana

Anno 470° a. Chr. n. Graeci Cumani maiorem urbem aedificare constituerunt; ad hanc rem regionem elegerunt ad orientem vergentem, ubi hodie est sinus urbis vetustus; novam vero urbem *Neapolin* nominarunt: tunc igitur Parthenope facta est *Palaepolis*.

Anno 326° a. Chr. n. Neapolitani, societate cum Samnitis et Nolanis facta, bellum cum Romanis gessere, qui tamen victores discesserunt. Pacis vero condiciones nequaquam iniquae fuerunt: cum enim Neapolis foederata urbs facta esset, sua propria instituta servare potuit. Ceterum insequentibus saeculis Neapolis magni momenti fuit ad Graecorum cultum atque humanitatem Romam invehendam, plurimique Romani villas ibi aedificarunt magnificas ibique feriari solebant. Satis sint nomina Scipionis, Sullae, Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis, Bruti et Luculli, qui omnes otia sua

Neapoli peragere solebant; Ciceronis vero, Horatii, Vergilii, Plinii maioris, Statii, qui ibi non pauca scripserunt.

### De Ducatu Neapolitano

Postquam vero occidentale Romanorum imperium anno 476° p. Chr. n. corruit, fatum urbis Neapolis mutatum est. Anno enim 536° Iustinianus imperator, Belisarium misit, qui urbe potiretur; anno vero 542° Gothi Neapolim invaserunt, qui Byzantinorum copias profligarunt. Qui tamen anno 553° Narsete duce maxima pugna ad radices Vesuvii montis commissa, Gothos ex Campania finibus exturbaverunt atque urbem iterum ceperunt.

Langobardis Vandalisque agros populantibus depulsis, anno 615° Neapolitani suam libertatem a Byzantinis vindicare conati sunt; per breve tamen tempus tantum libera instaurata est res publica: at anno 661° imperator Orientalium partium Neapolitanis efflagitantibus concessit ut dux urbem regeret, nomine Basilius. Hac quidem ratione, etsi iure Byzantinorum imperio esset subiecta, Neapolis suos habuit magistratus, qui primum a Byzantinis nominati sunt, tum vero ab ipsis Neapolitanis creati, demum hereditate suam potestatem filiis tradidere. Ducatus Neapolitanus ab anno 661° ad annum 1137<sup>m</sup> pertinuit, quo tempore cruentissima et aspera bella fere ubique in Italia flagrabant: Neapolis fuit igitur tunc quasi insula humanitatis in barbariae pelago sita.

### De Normannorum imperio

Iis saeculis Neapolitani saepe suos fines a Langobardis Saracenisve defendere coacti sunt: interdum igitur necesse fuit alias arcessere gentes, qui mercennariis copiis suppetias venirent. Normannis Aversanum Feudum concessum fuit ut Neapolitanis subvenirent cum Beneventanis bellum gerentibus. Normanni vero, Altavillana gente regnante, cum suis finibus non iam contenti essent, Sicilia, Arabibus expulsis, qui eam occupaverant, potiti sunt atque totam Italiam meridianam appetere coeperunt. Rutgarius huius nominis

II, cum rex creatus esset, Salerno, Amalphi, Capreis, Ravelloque occupatis, anno 1137, foedere cum Sergio duce pacto, re, etsi non iure, Neapolitanis suam imposuit potestatem; mortuo vero duce, Rutgarius, quadam libertate urbi Neapoli concessa, et magistratu nominato, qui rei publicae praeesset, Panormum rediit. Anno vero 1154 ei Vellelmus eius nominis I successit, qui licet “Malus” cognominaretur, iustus et sapiens rex fuit : inde ab eo tempore Neapolitanorum historia arte cum Panormitanorum vicibus est coniuncta. Vellelmus Castrum Capuanum aedificandum curavit, foedera magni momenti cum Rebus publicis Maritimis percussit, nobilium Neapolitanorum laudes meruit.

Item Vellelmus II, “Bonus” cognominatus, qui ei successit, optime regnavit ac sapienter; quo mortuo, concilium nobiliorum hominum, ne regno Germani potirentur qui ad confinia erant, Tancredin ex Altavillana gente successorem nominavit. Attamen nonnisi breve tempus tale regnum duravit: nam, postquam Suebi anno 1191° urbem obsidentes repulsi sunt, mortuo Tancredi anno 1194° Germanus rex Henricus huius nominis VI tota Italia meridiana potitus est.

## De Suebis Neapoli regnantibus

Ei vero post tres annos successit Federicus II, qui a multis doctis viris praestantissimus omnium regum habetur, qui umquam in Europa regnarunt. Principio Neapolitani plus semel eius regnum evertere conati sunt; attamen gradatim eius virtutes admirari coeperunt. Cum rex urbem inter annum 1220<sup>um</sup> et 1222<sup>um</sup> invisit, eius amoenitate percussus, monumenta et vias reficienda instaurandaque curavit; quibus operibus urbem multo splendidioram reddidit. Vir ille magna doctrina praeditus optime rem publicam administravit, bella feliciter gessit, foedera vel cum Arabibus panxit; praesertim vero poetas, philosophos litteratosque homines arcessivit, qui regnum suum eruditione et artibus decorarent; primam Neapoli publicam Studiorum Universitatem instituit, cuius fama cito percrebuit apud omnes totius Europae gentes; cuiusque pondus nonnisi Academiae Bononiensis et Parisina aequaverunt. Mortuo tamen

Federico, Conradus, qui ei successit, haud facile, neque nisi post longam obsidionem in urbem, ad quam ipse summus pontifex Innocentius eius nominis IV auxilia miserat, ingredi potuit. Anno vero 1254 et Conradus et pontifex mortui sunt; cum igitur Alexander IV, qui Innocentio successit, urbi nequaquam subvenisset, Neapolitani Conradinum, novum regem excipere coacti sunt; qui, cum parvulus etiam tunc esset infans, Manfredi patruum tutorem habebat.

### De regibus Andegavensibus

Anno 1266°, cum in Italiam a summo pontifice vocatus esset, Carolus ex Andegavensium gente, Gallorum regis frater, Manfredi apud Beneventum devicto, meridiana Italiae regno potitus est. Iussu Caroli Neapolis totius regni caput facta est (quamvis vehementer Siculi conquererentur), et cives in *Sedilia* digesti sunt, corpora scilicet popularia, quae populi commoda apud regem tuerentur. Etsi tributa ac vectigalia multa imposita sint, urbs tota est a novo rege refecta: magna exstructa sunt templa, monumenta aedificata sunt, provectae sunt artes et mercaturae, ac civium numerus adeo auctus est, ut Neapolis maxima facta sit totius Italiae urbs, quae in Europa uni Lutetiae cederet. Rex tamen anno 1267° cum Conradino bellum suscepit, qui, cum apud Tagliacozzo devictus esset, ad feudatarium suum confugerat; qui tamen, fracta fide, eum atque consobrinum eius adulescentulos sedecim fere annorum ambos regi tradidit occidendos. Conradinus igitur in Foro Neapolitano capite obtruncatus est.

Postea vero, *Vesperis Siculis*, seditio excitata est, qua anno 1282° Carolus Siciliam amisit; Cum res evertere Gebellini quoque Neapolitani anno 1284° conati sint, rex adiuvantibus optimatibus tumultum oppressit. Mortuo Carolo, anno 1285°, Carolus II ei successit, qui monumenta urbis in meliorem statum redegit et bonas leges constituit. Anno 1309° Robertus Andegavensis, alius praeclarus vir, ad Neapolitanorum regnum pervenit, qui Sapiens agnominatus est: is litteras et artes adeo amavit atque dilexit, ut plurimos



doctos viros et artifices ad aulam adhibuerit suam (Boccaccius, Giotto, Petrarca, Tinus a Camaino Neapoli eo tempore conversati sunt), iuris prudentiam provexit, *templum Sanctae Clarae* dictum exstruendum curavit (quo in templo eius sepulcrum collocatum est) et plurima alia templa gothico architectandi genere erigi iussit (ecclesias scilicet *S. Laurentii*, *S. Pauli*, *S. Dominici*). Post vero Roberti mortem (a. 1343°), Iohanna, eius neptis, moribus suis frivolis et insanis non parum urbi nocuit; praeterea eodem tempore pestilentibus, seditionibus, Hungarorum incursibus urbs vexata est; Iohannae regnum post quadraginta annos corruiit Carolo Dyrrachio Andegavensi evertente, qui fidem sibi commissam prodidit, ut reginae interfectae locum occuparet; qui tamen paucis post annis ipse mortem appetiit.

Ex stirpe Dyrrachenorum, qui quidem ab Andegavensibus oriabantur, post Carolum ad regnum Neapolitanum iuvenis Ladislaus pervenit; cui vehementer adversatus est Ludovicus II ex Andegavensium gente, qui regnum appetebat; quibus contentionibus urbs in contrarias factiones scissa est. Ladislaus tamen praevault, qui bene regnavit; anno 1404°, cum totam paeninsulam in unum redigere vellet, Roma potitus est, quam tamen anno 1409° relinquere debuit. Vix quadragesimum attigerat annum, cum supremum obiit diem; regnum autem Iohannae sorori reliquit, quae magis amoribus quam rei publicae erat intenta.

## De Aragonensibus

Quibusdam annis antequam moreretur, Iohanna, cum periculum sibi imminere vidisset, auxilium ab Alfonso Aragonensi, Siculorum rege, petivit eundemque adoptavit; hoc modo eum re legitimum fecerat heredem. Postea vero gradum rettulit, ac Renatum Andegavensem suum heredem relinquit; quod tamen iram Aragonensis regis adeo commovit, ut anno 1442° Neapolim expugnaret. Inde originem traxit Aragonensium dominatus, quo urbis opes amplificatae sunt reique publicae universae non pauca commoda venerunt; in eius aula litterae artesque renatae sunt, plurimi-

que docti viri humanitatem et cultum renovarunt, in quibus numerandi sunt Iohannes Iovanius Pontanus, Iacobus Sannazzarius (Actius Sincerus), Petrus Summonte, Petrus Beccadelli, Laurentius Valla et Giannotius Manetti. Cum artes et disciplinas tantopere pro-  
vexisset, Alfonsus dignus habitus est, cui Magnanimi nomen indere-  
tur. Illorum temporum praeclara restant monumenta, ut arcus mar-  
moreus, qui portae Castris Novi appositus est, templum Sanctae  
Annae Langobardorum, sacellum Sancti Angeli ad Nilum; quibus  
monumentis aedificandis ornandisque operam dederunt artifices  
notissimi, quales Vasari et Donatellus fuere.

Mortuo Alfonso Magnanimo, anno 1458° regnum ad Ferrantem  
filium transiit; Sicilia vero Iohanni, alteri filio, tributa est. Sub  
Ferrantis regno Neapolitani sese iterum ab Andegavensibus duabus  
pugnis defenderunt, atque bellum anno 1458° cum Florentinis ges-  
serunt; praeterea rex coniurationes oppressit nonnullas, quas regni  
barones fecerant; Ferrantes bonus fuit rex et bonas leges constituit;  
eo regnante magnifica porta Capuana aedificata est. Anno 1493°  
Ferrantes rex mortuus est, cuius loco regnum Alfonsus huius nomi-  
nis II obtinuit, qui tamen, cum timuisset ne Galli redirent, quibus  
multi dissidentes favebant, post breve tempus regnum Ferrantino  
filio cessit. Qui tamen non diu restitit Gallorum copiis, quae Carolo  
VIII duce in Italiam venerant, et, dum Andegavenses urbem occu-  
pant, in insulam Aenariam confugit. Cum vero Carolus, praesidio  
Neapoli relicto, Lutetiam rediisset, iterum Aragonensis rex, populi  
favore rursus impetrato, in urbem redire potuit. Duobus vero post  
annis mortem oppetiit; cuius regnum traditum est Federico  
Altamurensi, ultimo Aragonensium regum.

### Vicarii regis Hispanorum

Hispanorum regum vicarii vocantur ii, qui inter annum 1503um et  
annum 1707um in urbe Neapolitana dominati sunt: rex enim  
Matritensis suam potestatem in urbem Campanam regnumque  
totum una auri cupiditate impulsus inepte exercuit: plurimi vicarii  
alii aliis in regenda urbe successere, quam iniuriis, operibus summo

artificio elaboratis surreptis, acerbe imperatis pecuniis iniquisque vectigalibus vexarunt.

At populus non semel conatus est tyrannidem evertere, ut anno 1647<sup>o</sup>, cum tumultus plebis Masaniello duce concitatus est, quo unum integrum annum Hispani “domini” ad incitas sunt redacti.

Hoc tamen tempore quoque, mirum dictu, litterae et artes flourerunt: Torquatus ille Tasso, Iohannes Baptista Basile, Iohannes Baptista Marino carmina et fabulas conscripsere nobilissimas; Maximus Stanzione, Baptistellus Caracciolom, Bernardus Cavallino, Salvator Rosa, Lucas Iordanus, Matthias Preti, Andreas Salernitanus tabulas et imagines udo illitas coloribus pinxere; Petrus Bernini, Michael Angelus Naccherino, Iohannes Nolanus et Hieronymus Sanctae Crucis statuas sculpserunt; Dominicus Fontana et Cosimus Fanzago aedificia architectati sunt magnifica. Hac quidem aetate Aula regis, Carthusia Sancto Martino dicata, Templum Iesu Novum aedificata sunt.

### **Reges e Borbonica gente, qui saeculo XVIII regnarunt**

Post annum 1707<sup>o</sup> res ad interregnum venit, quo imperium tenuerunt Austriaci regis vicarii.

Anno vero 1734 Carolus e Borbonica gente, quae ex Hispania originem ducebat, ad regnum pervenit, qui statim maiorem quam eius decessores libertatem instituit. Rex, multa et in administranda re publica, et in tributis exigendis, et in mercaturis exercendis, et in re militari reformavit; inde insequentibus decenniis illa opera et negotia profecta sunt, quae etiam nunc Neapoli florent: inde ab artificiiis manu factis (quae non modo oppidi Betlehem simulacra sunt, sed etiam corallia, fictilia, ornamenta pretiosa ex auro aliisque metallis facta, statuae lignae) usque ad artes fabricandi et texendi (puta navalia Stabiarum, officinasque Sancti Leucii apud Casertam), et ad mercaturas (quae rex praesertim fovit in meliorem maioremque formam portum redigendo). Temporalem, quam vocant, clericorum potestatem cohibuit atque compescuit, feudatariorum vero privilegia imminuit et extenuavit.

Multa Carolo I regnante aedificata sunt praeclara urbis monumenta, in quibus nominanda sunt *Theatrum Sancto Carolo dictum*, quod anno 1737° inauguratum est; *Aula in Capite Montis* sita et *Palatium regium* quae exstrui coepta sunt anno 1738°; anno 1751° Ferdinando Fuga architecto Regium totius regni pauperum hospitium aedificandum commissum est; anno insequenti Ludovicus Vanvitelli Palatium regium Casertae exstruere coepit, quo imitatus est exemplar Versaliense; idem Vanvitelli anno 1757° *Forum Carolinum*, quae area nunc a Dante nuncupatur, delineavit. Brevi Theatrum Sancti Caroli quasi templum Europaeum factum est artis musicae, quadraginta annis ante quam theatrum Mediolanense aedificaretur; hisce iisdem temporibus summum attigit fastigium schola musica Neapolitanorum; Carolus effodiendas et in lucem restituendas curavit *Pompeianas* et Herculaneenses *parietinas*, statuas, picturas, quibus ut docti viri studerent magnam largitus est pecuniam; fictilium operum fabricam condidit in Capite Montis sitam; series statuarum Farnensis Neapolim pervenit, quae nunc in *Museo archeologiae Neapolitano* principem locum obtinet.

Caroli regnum anno 1740° labefactatum est, cum, post bellum inter Hispaniam et Austriam, ad Austriacum regem transiturum esse videretur; Carolus vero huic periculo magnopere occurrens exercitu suo libertatem civium, qui Italiam meridianam incolerent defendit ab austriacis illis regionibus inhiantibus.

Anno 1759° Carolus Matritum revocatus est, ut susciperet Hispanorum regni gubernacula; Neapoli vero Ferdinandum filium reliquit, qui nullo prorsus modo dignitate et ingenio patrem exaequavit.

Ferdinando IV regnante officinae Sancti Leucii inauguratae sunt (anno 1779°), ubi novis viis rationibusque sericum parabatur texebaturque; totum litus harenosum quod a *glarea* nuncupabatur in hortos publicos convertit (anno 1778°), scholam militarem condidit (anno 1767°), Regia Navalia Stabiis inauguravit (anno 1783°) et ingenti magnitudine Horrea aedificanda curavit (anno 1799°). Iisdem annis aedificia genere baroco, quod dicitur, exstructa atque ornata sunt, et incolarum numerus in dies adeo increbruit, ut haud facile in urbe omnes contineri possent.

Anno 1789° Neapoli quoque rumores de Gallica rerum eversione differuntur, quibus Ferdinandus eiusque aulici horrore perfunduntur. In urbe vero ii omnes, qui Carolo regnante rem publicam legibus bene temperatam in qua ea, quae tranquilla et iusta sunt observarentur institui posse speraverant, quique Platonicis doctrinis penitus imbuti erant, Ferdinandi regis mores et rationes civitatis regendae iam tolerare non potuerant. Non tamen obscura et humilis multitudo res Neapoli evertere, novamque et quidem liberam rei publicae formam condere conata est, sicut in Gallia; at doctissimus quisque vir, at optimates, at sacerdotes, at episcopi quoque, iustitiam aequitatemque sitientes in unum convenere cum populo ut, eversa inepti regis tyrannide, totius civitatis mores legesque in melius corrigerent ac reformarent. Quos et Antonius Genovesi et Caietanus Filangieri et Petrus Giannone instituerant et ad veram humanitatem administrandi rei publicae artibus ac rationibus informaverant, ii motum rebus iam post Caroli mortem inertibus in peiusque vertentibus attulerunt.

Homines quales Franciscus Marius Pagano, quem et iuris et historiae litterarumque peritissimum omnes in cuncta admirabantur Europa, Dominicus Cirillo, medicinae omnisque naturalis philosophiae cultor eximius, cuius opera manu diurna nocturnaue universa in veteri continenti docti viri versabant, Hector Carafa, Eleonora Pimentel Fonseca, Aloisia Sanfelice, Ianuarius Serra de Cassano, nobilissimo loco nati, Conforti, Serrao, Troisi, sacerdotes summique Ecclesiae antistites, strenue anno 1799° ita pugnaverunt, ut, adiuvantibus Gallorum copiis, rege ex urbe exturbato, liberamque rem publicam die 24° m. Ianuarii constituerint. Quae tamen brevi duravit: nam eodem anno Cardinalis Ruffo adiuvantibus Britannicis auxiliis Hispanicis regis copiis, ex Bruttiorum regione usque Neapolim infima plebe adversus “Iacobitas” concitata usque Neapolim pervenit: faex enim populi et rudis indoctaque plebecula, stipem, licet incertam, ad victum cottidianum emendicatam sibi parare malebat, quam exspectare donec res publica reformaretur ac constitueretur, quod consilium ne intellegebant quidem; facile igitur fuit hos illitteratos et inscientes homines adversus liberae rei

publicae fautores instigare, qui quasi impii et sacrilegi falso a regis asseclis depingebantur. Mense Iunio anni 1799<sup>i</sup> Gallorum copiae urbem reliquerunt; obsidione cinctum est Castrum Sancti Eremiti, ubi inclusi erant qui rem publicam liberam instituerant; rex immunitatem promiserat volentibus in Galliam migrare. Cum vero se dedidissent, rex, fide fracta, omnes ad mortem duci iussit; quorum alii laqueo suspensi, alii vero decollati sunt.

### De Gallorum decennio

Quamvis vero Ferdinandus regnum suum reciperavisset, non diu tamen regnavit: Neapoleon enim, Gallorum imperator, qui tunc temporis plurimum in Europa poterat, Italiam meridianam Iosepho fratri donandam constituit. Anno igitur 1805<sup>o</sup> cum Gallorum exercitus iterum in urbem ingrederetur, Ferdinandus Panormum in exilium secessit.

XVIII saeculo, Borbonibus in urbe regnantibus, Neapoli plurimi floruerunt artifices fama praeclari, in quibus Scarlatti, Pergolesi, Cimarosa, Paisiello musurgi, Solimena, Vaccaro, De Mura pictores, Sammartino statuarius (qui *Christi velo obducti* statuam confecit), Vanvitelli et Fuga architecti, cuius iam supra mentionem fecimus. Anno 1765<sup>o</sup> in urbe 337.000 cives incolebant: magnitudine ergo et civium numero non nisi Lutetiae cedebat.

Ioseph Bonaparte Neapoli vix tres annos regnavit (1805-1808), quibus annis publica opera nonnulla perficienda suscepit (in quibus via quae ad promunturium Pausillypon ducit) et rationem administrandi rem publicam reformavit, fines urbis dilatando, instituendo praefectum urbis, et urbanam cancellationem inducendo. Hoc quidem tempore instituta sunt etiam *Hortus Botanicus*, *Academia Musica*, quae collocata est in *Monasterio Divo Petro ad Maiellam* dicato, quo tantopere musica ars provecta est et floruit.

Anno 1808<sup>o</sup> Neapoleon regnum Ioachimo Murat genero commisit, qui etiam fuerat fidus exercitus dux; qui, cum suavi praeditus esset indole, a Neapolitanis dilectus est. Cum vero rei militaris peritissimus esset, exercitum instruxit quo saepe victor discessit, cum in

ipsa Campania, ubi insula Capreis potitus est, quae a Britannis detinebatur, atque classem Anglo-Hispanicam in sinu Neapolitano devicit, tum praesertim in Rutenorum bello, quod anno 1812° conflatum est. In urbe alia opera publica perfecit: in his munivit viam Napoleoni dicatam, qua via a Toletto nuncupata cum regione in Capite Montis coniungebatur, ac venientes ex Septentrionibus faciliorem dabat ad urbem aditum.

Post Vindobonensem Conventum et reges reductos, Murat Neapoli discedere est coactus, quamvis ad regni gubernacula manere conatus esset. Relegatus in Corsicam, dux ille mense Octobri anni 1815<sup>i</sup> consilium ultimum inivit ad regnum recipendum; cum parva igitur hominum manu ad Bruttiorum oras appulit; a militibus tamen Borbonicis deprehensus, capitis damnatus est.

### De regibus Borbonis reductis

In Vindobonensi Conventu, ut Ferdinandus in regnum restitueretur decretum est, qui tunc nomen sibi indidit Ferdinandi I, postquam Regnum Neapolitanum et Regnum Siculum in “Regnum duarum Siciliarum” conflaverit. Primum omnium Ferdinandus nova iura instituit; inter eum et Ecclesiam pactum convenit, ut ea omnia bona, quae Galli publicaverant, clericis redderentur, neque tamen omnia instauravit privilegia, quae ante decennium Gallicum vigerant.

Hisce annis Aedificium Sancti Iacobi exstruitur, ubi nunc Municipii sedes collocata est. Anno 1816° area ante aedes Regias sita ita reficitur, ut in formam, quae nunc est, nomine *Fori Ferdinandi* conversa sit, ingenti extracto templo divo Francisco de Paula dicato, cuius ratione neoclassica Romanum Pantheon et areae Petrianae porticum architectus est imitatus. In eodem foro duas statuas equestres collocandas curavit, quarum altera Carolus, altera vero Ferdinandus e Borbonica gente effinguntur; eodem anno Ferdinandus uxori suae, Floridiae ducissae, pulcherrimam instruit Villam Floridianam, in Vomerensi colle; anno vero 1819° *Specula Astronomica* instituitur, quae prima in tota Europa fuit.

Anno 1820 libertatis motus in Europa concitati sunt; Neapoli,

duce Vellelmo Pepe, seditio facta est. Hoc novo rerum discrimine perterritus, Ferdinandus ambigue et insidiosè se gerere coepit: nam primum Constitutionem concessit, postea vero auxilia Austriaca arcessivit, ut abrogaret.

Anno 1825, mortuo Ferdinando Franciscus huius nominis I successit, qui paucos regnavit annos, nullo maximi momenti vestigio relicto. Anno 1830° ad regnum Ferdinandus II pervenit, qui contra continuo Neapolitanorum benevolentiam primisque temporibus etiam Italicorum liberalium, qui dicuntur, laudes sibi peperit. Exercitum reformavit adeoque provexit artes diversas, ut Neapolis praestantissima fieret tunc temporis urbs: anno 1837° prima omnium Italicarum urbium gase, ut aiunt, noctu illuminata est; anno 1839° ferrivia, quae Neapoli Portici usque pertinebat inaugurata est, quae prima fuit via ferrata in Italia; anno 1841° Specula Vesuviana aedificata est, quod fuit primum totius orbis terrarum ignivomis montibus investigandis Institutum. Telegraphi ope longinqua loca sunt inter se coniuncta, novae viae sunt munitae, pontes aedificati sunt, valetudinaria, scholae et officinae inauguratae sunt; ad quingenta milia civium urbem incolebant: Neapolis maxima fuit tunc in Italia urbs. Neapolitanorum ingenium potissimum in arte musica eminuit, in comoediis (in quibus Scarpetta ille primas tenuit), in artibus pingendi sculpendique, in quibus ex sic dicta Schola Pausillypi meri principes exierunt: Dominicus Morelli, F. P. Michetti, Palizzi fratres, Ioachimus Toma.

Tumultus Neapoli quoque, sicut in reliqua Italia, et praesertim in Tuscia et regione Pedemontana, anno 1848° fuere, qui tamen sedati sunt Constitutione promulgata et Publico Consilio instituto.

Annis insequentibus Neapolitani Summi Pontificis latus clause-runt pugnantis cum liberalibus, qui dicuntur, et Caietae in exilio versantis; Exercitus, quem Ferdinandus miserat, victor ex pugnis apud Terracinam et apud Palestrinam commissis discessit. Ferdinandus II anno 1859°, uno scilicet anno ante quam Italia in unum redigeretur, mortuus est.



## Quid Neapoli factum sit postquam Italia in unum redacta est

Cui iuvenis Franciscus, huius nominis II successit, qui novissimus Duarum Siciliarum rex fuit. Anno 1860° Iosephus Garibaldi Marsalam, in Siciliae oras, mille illos milites suos eo facilius exposuit, quod hinc regis classarii seditionem fecerant, illinc vero duces Borbonici nonnulli, qui in Sicilia praesidiis praefecti erant morem ei potius quam regi gerebant ; Iosephi Garibaldi militibus ad Septentrionem per peninsulae regiones progredientibus favent liberales, qui dicuntur, Britannorum et Pedemontanorum legati, burgenses plurimique alii; Franciscus II, ne urbem regni caput cruentaret, exercitum suum ultra flumen Volturnum ducit, ubi Garibaldi illius milites exspectat, quibuscum proelium apud Caiatium committit. Cum vero anceps hostis et a fronte et a tergo urgeret – nam ex Septentrionibus Pedemontanae copiae Victorio Emmanuele II duce Neapolitanum regnum petebant – milites Borbonici in arcem Caietanam confugiunt, ubi diu resistunt, nulla tamen spe belli exitus commutandi. Teani igitur, quo convenerant, Garibaldi Victorio Emmanueli, Pedemontanorum regi, totius Italiae meridiana regnum tradidit; die vero septimo mensis Septembris Garibaldi Neapolim ingreditur, et ex Aedium a Doria de Angri nuncupatarum moeniano populo nuntiat eam peninsulae partem iam cum Sabudiorum regno esse coniunctam, ut Italia in unum coalesceret : quod quidem plebis scitu die 21° mensis Octobris confirmatum est. Annis vero insequentibus non parvae fuerunt Neapolitanis totiusque Italiae meridiana incolis difficultates: nam qui sedebant ad regni gubernacula longe sedes suas habebant, ac saepe illam Italiae partem nimium neglegebant ; ruri igitur et in montibus hominum manus congregantur, qui adversus novum regimen pugnant, quorum tamen conatus Pedemontanus rex, centum viginti milibus militum missis, acerbe coerces et opprimit.

Neapolis, etsi non iam regni caput erat, nihilominus totius Italiae meridiana maximi ponderis urbs manebat; gradatim praeterea iterum eius portus summi factus est momenti inter eos, qui ad Maris interni oras essent siti: nam non modo inde coloniae transmarinae deducebantur (coloniae scilicet Libyae, Erythraeae, Somaliae,

Dodecanesi, et postea Aethiopiae), sed etiam plurimi Itali in Argentinam et in Foederatas Americae Civitates migrarunt.

Post prius universale bellum Neapoli, ut in ceteris Italiae urbibus, difficillima fuerunt solutionis tempora; Fascalis regiminis temporibus cum partim mercaturae et artes gradatim meliuscule florebant, tum vero magnum detrimentum accepit, quod navales copiae omnes Tarentum sunt translatae.

Omnia tamen quae florere coeperant altero bello flagrante pessumdata sunt. Nam urbs inter a. 1940<sup>um</sup> et a. 1941<sup>um</sup> a Britannis, tum vero inter a. 1942<sup>um</sup> et 1943<sup>um</sup> ab Americanis, demum ab anno 1943<sup>o</sup> ad annum 1945<sup>um</sup> a Germanis pyrobolis de caelo demissis tam acerbe petita est, ut paene tota solo aequata sit.

Postquam vero die octavo mensis Septembris a. 1943<sup>i</sup> rex inducias cum Anglo-Americanis fecerat, Germani urbem die duodecimo eiusdem mensis occuparunt; cum vero Neapolitani rebellassent, Germanorum optio, nomine Scholl, mortem minatus est omnibus civibus qui adversus Germanum quidquam facere ausi essent; quin etiam centenos Neapolitanos pro singulis Germanis occisis se ad mortem missurum edixit.

Cum vero coepisset etiam plurimos cives deportare, seditio flagravit ac tumultus excitatus est maximus.

Neapolitani primi omnium in Italia contra milites Germanos exsurrexerunt: quattuor igitur diebus fama notissimis (inde a die 28<sup>o</sup> mensis Septembris usque ad Kal. Octobres a. 1943<sup>i</sup>), civium turba adversus occupantes copias coorta est, quas e finibus suis exturbavit; Anglo-Americanis igitur, cum paucis post diebus in urbem essent ingressi, liberam iam civitatem invenerunt, ac facile Romam versus progredi potuerunt. His rebus gestis, Neapolis, urbs virtute militari insignis, est aureis rei publicae nomismatis decorata.

## **Quae fuerint post alterum universale bellum urbis Neapolis condiciones**

At post alterum universale bellum Neapoli commercis negotisque iterum florentibus, res in melius vertere poterant nisi negotiatores et mancipites, uni lucro privatoque compendio inhiantes, amoenissimas urbis partes horrendis ingentibusque aedificiis foedassent, quos hominibus rure in urbem confluentibus replerunt; civium numerus adeo auctus est, ut vix in urbis finibus contineri posset; qui ad civitatis gubernacula sedent ipsi cum factiosis hominibus, qui ‘cammorristae’ vulgo appellantur, publico bono neglecto, sceleribus obligati sunt.



# Ordo rerum in conventu agendarum

## Die XV mensis Iulii

---

**15.00-20.00 – IN EPHEBEO PVBLICO A “VICTORIO EMMANUELE” NVNCVPATO (vulgo: CONVITTO NAZIONALE VITTORIO EMANUELE)**

Participes pervenient et cubicula sua occupabunt. Nomen conventus scribis et amanuensibus dandum; supellex scriptoria et omnia ad acroases audiendas necessaria tradentur.

20.30 – Cena

## Die XVI mensis Iulii

---

**9.00 – IN INSTITUTO ITALICO PHILOSOPHIAE STUDIIS PROVEHENDIS (vulgo: ISTITUTO ITALIANO PER GLI STUDI FILOSOFICI)**

- Urbis potestates ac magistratus conventus participes salutabunt
- Academiarum institutorumque cultui humanitatis provehendis, quae in urbe sunt, professores et praesides adstantibus salutem impertient :  
**Giuseppe Abbamonte** (Università “Federico II” di Napoli)  
**Antonio Vincenzo Nazzaro** (Università “Federico II” di Napoli)  
**Edoardo D’Angelo** (Istituto Universitario Suor Orsola Benincasa)  
**Gerardo Marotta** (Istituto Italiano per gli Studi Filosofici)

– PRAELOCUTIONES:

11.00 – **Michael von Albrecht** (Università di Heidelberg): De humanitatis studiis et de pugna, ad quam nostra aetas nos provocat  
 (Gli *studia humanitatis* e le sfide della modernità)

Primum de facultate renascendi suique transformandi loquar Romanis insita, quae est studiorum humanitatis pars non parva. Deinde exemplis ex rerum gestarum memoria et liberae reipublicae et aetatis imperatorum petitis comprobabo, qualis quantaque fuerit Romanorum discendi inveniendique facultas atque sollertia, qui saepissime eas ipsas vires, quibus inimici vigeant, in suum usum verterint. Denique de Roma et Europa pauca dicenda erunt et de iis armis, quibus contra linguas vere mortuas – mercatorum praeconia et pseudo-politicorum ineptias – linguis semper vivis – sermonem Latinum Graecumque dico – instruemur. Discant igitur adulescentes Latine, discant Graece, discantque viva voce. Nam qui diligenter Latine loqui et scribere didicerit, etiam sermone patrio maiore cum cura atque venustate utetur.

12.00 – Lustrabuntur area plebisciti, aula regia, porticus Galilaea ab “Humberto I” nuncupata, theatrum divo Carolo dicatum

13.00 – Prandium in theatri vestibulo consumetur divo Carolo dicati

### 15.00 – IN AULA REGIA (vulgo: PALAZZO REALE)

#### Humanitas civilesque virtutes

##### ARGUMENTA:

1. *De re publica gerenda* (La politica)
2. *De iuvenibus ad humanitatem informandis* (La formazione dei giovani)
3. *De optimo rei publicae statu* (Le utopie)

15.30-16.30 – **David Morgan** (Università “Furman”– Carolina Meridionale): Qua mente Thomas Morus Utopiam suam adumbraverit (L’*Utopia* di Tommaso Moro)

Elapso iam saeculo vicesimo omnium maxime infausto ac calamitoso – quo tot tamque furiosi factionum coryphaei, sibi aliquam perfectae rei publicae ideam proponentes, orbem caedibus ac terrore impleverunt, dumque paradisum in terris facere temptant, fecere gehennam – annon recte quis Thomae Mori “Utopiam” culpet damnetque, quippe unde manasse videatur consilium istud, homines aliquando tandem esse beate victuros, si tota politia ex huius vel illius phrontisterii placitis funditus eversa ac novata fuerit?

At duos “Utopiae” libros accuratius legentem animoque diutius pensitantem latere non potest Mori mentem longe aliam fuisse, illumque verae humanitatis statorem ac restitutorem, iocis miscens graviora, viam quandam praemonstrasse – ut olim Plato – quo efficacius philosophus, dum aliquod pulchre apteque ordinatae civitatis exemplum a se animo conceptum contempletur, animum proprium ad virtutem conformare queat. Immo ipsis Utopiae libris Morus non uno modo quam sit res dubia quamque periculosa significat, si quis suadendo moliendo pugnando filios Adami ad angelorum vitam adducere sategerit, monetque haud obscure, ne usquam Nusquamiam condamus.

16.30-17.30

Sessio 1 – **Zoltán Rihmer** (Università di Pécs – Ungheria): De humanitate et iure per varia Europae saecula (*Humanitas e Ius* nella storia dell’Europa)

Inspicere volentibus, quid inter humanitatem et ius intersit ac quam arte inter se nexa coniunctaque sint, diversa sane incumbunt pro conceptu “humanitatis” officia. Nam cum ius ut systema humanum ad regendos actus hominum referatur, nullo non tempore quam natura humana, cum ratione essentiae hominis potuit esse coniunctum, ut philosophiae iuris cultores eorumque placita diversa ostendunt. Si vero “humanitatis” accipimus certam quandam cultus humani rationem, quae temporibus antiquitatis efformata et condita posteaque pluries

variis in formis renata est atque renovata, patet quaestionem ad vastissimas disciplinas historiae culturalis et spiritualis potius pertinere, quibus varii aspectus coniunguntur affines. Ex his in acroasi eos selegimus, qui ita sunt investigandis prioribus saeculis aptiores, ut nostram quoque aetatem attingant. Loquemur ergo de aequitate et iure naturae hausto e fonte antiquo, de ordinibus iuridicis mediaevalibus principiis humanitatis Christianae altius informatis, et de iuribus hominis sive humanis, quae peperit novus ordo saeculorum.

Sessio 2 – **Giovanni Rossi** (Università di Verona): Quae de re publica cogitata Matthaeus Palmieri, Florentinus humanista, in opere, quod “De vita civili” conscripsit, tradiderit  
(La *Vita civile* di Matteo Palmieri: la riflessione politica di un umanista fiorentino)

Colloquium, quarto XV saeculi decennio compositum a Matthaео Palmieri Florentino mercatore viroque politico Medicorum genti favente, haud casu *De vita civili* inscribitur, quippe quod et maximi momenti quaestiones ad rem publicam gerendam spectantes contineat, et eadem aetate quadam peculiari conscriptae sint.

Opus igitur quattuor in libros dispertitur, quorum praecipua argumenta sunt: de liberis civibus ad humanitatem instituendis, de civium moribus ad virtutem adsequendam in re publica conformandis, de iustitia inter homines exercenda, de recta denique et honorabili divitiarum commodique comparatione.

Pondus atque operis momentum non modo a materia oritur tractata, quae ex antiquorum scriptorum libris depromitur, verum etiam ab ipso peculiarique scriptoris proposito normas quasi dandi, e notionibus compositas illis Florentini humanismi civilis proprias, ad quas conformati participes fiant cives rei publicae administrandae; iuxta consilium illud ambitionis plenum secundum quod una ex parte cives instituendi, altera vero ex parte ad propositum de imperio potiendo, quod Medici tunc machinabantur, quodammodo flectendi sint.

17.30-18.00 – Pausa

18.00 -19.00

Sessio 1 – **Andrea Suggi** (Università “Ca’ Foscari” di Venezia): Inter humanas litteras et pacem fidei. *Oratio de instituenda in republica iuventute* a Iohanne Bodinio conscripta  
(Tra educazione umanistica e pace religiosa: la *Oratio de instituenda in republica iuventute* di Jean Bodin)

Anno millesimo quingentesimo undesexagesimo cum tricesimum fere annum ageret Bodinius senatum populumque Tolosanum alloquens *Orationem de instituenda iuventute* recitavit qua consilio tunc inito faveret Publicum Ephebeum instituendi ubi studia humanitatis docerentur. Licet igitur hoc opus iuvenile atque ad occasionem confictum sit, argumenta tamen iam inveniuntur quae proveciore aetate Bodinius iterum fusiusque tractabit. De historia in primis

dico per vicissitudines interpretanda, - quaestio praecipua illius operis quod inscribitur *Methodus ad facilem historiarum cognitionem*, - de morbis dein qui tunc temporis integritati sanitatique Francogallicae hominum communitatis minabantur, - argumentum satis agitatum in opere de republica - de sollicitudine denique propter contentionem illam inter Catholicos et Huguenotos, qui dicuntur, mox in bella terribilia religionis ergo evasuram, - ad discrimina investiganda inter varias fides per saeculorum decursum ab hominibus cultas opere quod inscribitur *Colloquium Heptaplomeres* Bodinius annis insequentibus revertetur.

Pueros ratio publice instituendi quam Bodinius sua oratione pinxit humanitatis studiis nititur excolendis, quae cum multas habeat virtutes, tum etiam vinculum inter homines confirmat qui, sorte atque fide dissimiles, ad eandem tamen informentur humanitatem vetere insuper necessitate a pueritia originem trahente coniuncti. Communis igitur cum omnibus doctrina et cognitio fontium, auctoritatum commentariorumque quibus et libri sacri et optimae notae scriptorum philosophorumque libri instructi sunt impedire debent quominus discrimina fiant discidia. Haec itaque pueros educandi ratio discriminibus sortis, fidei, virtutis asservatis et quasi eius ipsius vi moderante compositis efficit praeterea ut emolumento sit quod offenculo esse poterat.

**Sessio 2 – Dino Piovan (Università di Pisa):** Quid intersit inter liberam antiquorum rem publicam et civitatem popularem, quae nunc est (Democrazia degli antichi, democrazia dei moderni: voci di un dibattito)

Variorum doctorum hominum, in quibus, Beniamini Constantii, Ulderici de Wilamowitz, Eduardi Meyer, Iulii Beloch, Moysis Finley, Annae Arendt rationibus et doctrinis accurate pro virili excussis, haec mihi in acroasi in primis propositum est demonstrare et illustrare:

1. Quomodo antiqui homines in utramque partem de populari dominatu disputaverint.
2. De iis antiquitatis studiosis, qui recentioribus temporibus popularem civitatem reprehenderunt
3. Qui nostra aetate popularem rem publicam reprehenderint: “liberales” qui dicuntur philosophi
4. Quibus finibus terminisque Atheniensium civitas popularis contenta sit: qui exclusi fuerint
5. Quid antiquorum res publica popularis et recentior popularis civitas inter se differant: quantum valeat considerare qui in re publica versentur
6. Conclusio: quanto in discrimine sit hodie popularis res publica

19.00-20.00

**Sessio 1 – Tamás Nótári (Università “Gáspár Károli” di Budapest):** Quibus auctoribus interpretationibusque adhibitis Erasmus Roterodamus proverbium “Summum ius summa iniuria” tractaverit (Le fonti d’Erasmus da Rotterdam nella trattazione dell’adagio *Summum ius summa iniuria*)

Erasmus Roterodamus hanc rationem proverbii de “iure summo iniuriaque



summa” in adagiorum collectione reddidit: *Summum ius, summa iniuria, hoc est, tum maxime disceditur ab aequitate, cum maxime superstitione haeretur legum litteris*. Nonnullis etiam sententiis exemplisque auctorum Graecorum Latinorumque aetatis antiquae collatis interpretationem suam confirmavit. Quaeritur autem primo quaenam variationes huius proverbii in operibus auctorum antiquorum inveniri possint, quam coniunctione sententia Celsi “ius est ars boni et aequi” quae proverbio “summum ius summa iniuria” proxima nobis esse videtur in interpretatione iuris apud Romanos adhibita fuerit. In cursu tractationis nec origo ratioque verbi “aequitas” eiusque interpretatio in historia iuris Romani, nec exempla definitionum variarum ab auctoribus antiquae aetatis inventa omittentur.

**Sessio 2 – Stefano di Brazzano (Liceo "F. Petrarca" di Trieste):**  
**Humanarum litterarum partes in publicis negotiis atque legatorum muneribus: de Venantio Fortunato apud Francorum reges**  
 (L’umanesimo nella diplomazia: i rapporti di Venanzio Fortunato con i re Merovingi)

Dicam de Venantio Fortunato qui, postquam cursum studiorum in Venetorum regione necnon Ravennae perfecerat, longum iter in Galliam, tunc a Francis occupatam, suscepit, ut artibus et disciplinis, quibus imbutus erat, animos barbarorum ad amorem cultus civilis Latini excitaret. Ostendam quam dilucide ipse intellexerit Galliam, terram scilicet ubi saeculis praecedentibus praeclara ingenia ut Ausonius, Paulinus Nolanus, Aurelius Symmachus necnon Sidonius Apollinaris floruerant, etsi a novis iisque adhuc rudibus populis spoliatorum instar direptam, nihilominus humanitati abrenunciare nec posse nec velle, ita ut ab ipsis barbaris viri docti thesauros Latini cultus patefacere valentes desiderarentur et expectarentur. Itaque fere omnes reges aliique proceres, et saeculares (praesertim barbari) et ecclesiastici (praesertim Romanae vel, ut quibusdam magis placet, Gallo-Romanae stirpis), Venantium inter amicos habere studuerunt sategerunt contenderunt, isque callide et opportune his occasionibus usus est, nec tamen spiritale sui ipsius exercitium neglexit, donec iam senescens episcopus Pictaviensis renuntiatus est.

20.30 – Cena

**21.45 – IN EPHEBEO PVBLICO A “VICTORIO EMMANUELE” NVNCVPATO (vulgo: CONVITTO NAZIONALE VITTORIO EMANUELE)**

Belgicae Scholae Novae praestantissimi symphoniaci tricinium edent

## Die XVII mensis Iulii

---

**9.00-20.00 – IN COENOBIO DIVO LAURENTIO DICATO (vulgo: CONVENTO DI S. LORENZO MAGGIORE)**

### De humanitate, religionibus et necessitudine cum aliis gentibus

ARGUMENTA:

1. *De humanistarum mente erga Christianitatem et alias religiones* (Umanesimo, cristianesimo e altre religioni)
2. *De tolerantia* (La tolleranza)
3. *De commercio cum aliis gentibus* (Il rapporto con i popoli non occidentali)

9.00 – Neapolitanae Ecclesiae antistes conventus participes salutabit

9.15-10.15 – Milena Minkova (Università del Kentucky): In meliorem partem an in peiorem mundus a saeculi duodecimi humanistis sit acceptus  
(Ottimismo e pessimismo nell'umanesimo del XII secolo)

Quomodo mundus a saeculi duodecimi humanistis sit perceptus in acroasi tractabitur duobus operibus cosmologicis summi momenti consideratis, i.e. Cosmographia Bernardi Silvestris et opere Alani ab Insulis c.t. *De planctu Naturae*, necnon ratio qua mundi perceptio cum genere dicendi coniungatur investigabitur. Qua in tractatione genus operum prosimetricum necnon eorum indoles allegorica atque metaphorica primum habebunt locum, quippe quae ad horum scriptorum rationes mundi percipiendi recta via pertinere posse videantur.

10.15-11.00

Sessio 1 – Fidel Rädle (Università di Gottinga): Quo modo Iesuitae studium cum pietate coniunxerint ac de eorum cultu Latinitatis mirabili  
(L'armonia dello studio e della pietà religiosa presso i gesuiti)

Societas Iesu ecclesiae Catholicae, quae Reformatione illa Lutherana afflictata quasi humi iacebat, in adiutorium venit tam doctrinam Christianam renovando quam litterarum studium colendo. Nimis enim alienam esse pietatem, quae dicebatur, a scientiae disciplinis ratione fultis, nimis barbarum nec vere Latinum sermonem ecclesiasticum Patres Iesuitae iudicabant. Hac de causa, praeter officium ovium pascendarum evangelique praedicandi, ipsos humanistas secuti novas scholas instituerunt, ut iuvenes tam litteris quam moribus erudirent. Itaque auctoribus Christianis, qui multa per saecula in pretio fuerant, omissis docuerunt in scholis suis litteras illas renatas, quibus tota Europa fruebatur et imprimis tota Italia gaudebat. Quo factum est, ut doctrina Christiana denuo Latinitatis decore ornaretur necnon ex ipsa Societate Iesu auctores Latini elegantissimi orirentur.

**Sessio 2 – David Movrin (Università di Lubiana): De sanctae Catharinae Senensis eiusque sodalitati re publica litteraria (Il mondo di santa Caterina da Siena e dei suoi corrispondenti)**

Fines rei publicae litterariae, quam inter doctos eruditosque exstare novimus, latiores erant tempore medii aevi ut veteres aviae – ita enim Persius arbitria intemptata vocabat – nobis suadent. Sancta Catharina Senensis, exempli gratia, femina indocta et humili loco nata, auctoritatem suam, integritate vitae institutam atque paratam, per totam Europam extendit auxilio rudis calami.

Hoc rete, magno cum labore textum, praecipue ex eventis et factis post mortem Virginis Seraphicae observari potest. Catharinae in sanctorum numerum relatio, diu diuque incerta propter perturbationem schismatis Ecclesiae ac propter multos pontifices antipontificesque maximos eodem tempore cathedram Petri postulantes, tandem est effecta laboribus "Catharinatorum", discipulorum Catharinae - praesertim per aerumnas Stephani de Maconibus, discipuli quem illa diligebat. Hoc opus ac eius effectus, receptio scilicet Virginis Senensis inter sanctos, denique acquisita bullae gratia Pii II, Aeneae Silvii Piccolomini, farrago acroaseos nostrae erit.

**11.00-11.30 – Pausa**

**11.30-12.15 – Antonio Vincenzo Nazzaro (Università "Federico II" di Napoli): Vergilius nostram in aetatem feliciter sibi ipse superstes (La fortuna di Virgilio fino all'età moderna)**

Publius Vergilius Maro, Latinorum maximus poetarum, a primaevis christianis scriptoribus in Christi praenuntiorum numero receptus est. Post Lactantium, qui eius versus una cum Oraculis sybillinis magna profert laude, Constantinus imperator oratione ad sanctorum coetum habita quartam Vergilii eclogam christiano interpretatur sensu. Quam interpretationem, Hieronymo excepto, Augustinus, Quodvultdeus, Philargirius auctoresque mediae quae dicitur aetatis, alii alio modo sunt secuti. Hi tamen in hoc consentiunt, quod puer Vergiliani carminis Christi ostendit figuram. Ob eximium ingenium poeticamque vim, necnon ob christianam interpretationem locorum et sententiarum eius carminum nomen Maronis "in melius mutati" subsequentes per aetates numquam defecit.

Parva de plurimis gravia commemoro exempla: aetate quae dicitur media – ut Comparetti autumat – Vergilius sapiens et magus factus est; Vergilii status a cum Veteris Testamenti prophetis in cathedralium frontibus ecclesiarum positas videmus; Dantes Aligherius in illo itinere per regna post mortem futura (scilicet inferorum animarumque purgandarum) usque ad Paradisi limen Maronem sibi ducem adoptavit; sollemnia Maronis vatis gentilium sacra in Romana dioecesi usque ad XIX saeculum celebrata inter omnes constat; Maro apud paganos et christianos antiquos, mediae quae dicitur aetatis, recentiores, huiusque temporis auctores (praesertim Italos et Europaeos) sine ulla intermissione magnopere pollet.

## 12.15-13.00

Sessio 1 – **María de Lourdes Santiago Martínez** (Università Nazionale Autonoma del Messico): De itinere quorundam humanistarum per terras Americanas (s. XVI)

(Viaggi d'umanisti in America nel Cinquecento)

Acroasis mea in partes tres divisa erit, quarum in prima proponam argumentum ad munus humanistarum in America sexto decimo saeculo ineunte spectans, id est, tempore quo coloniae in America ab Hispanis conditae sunt, praeterea verba fient de condicionibus occupationis peculiaribus deque moribus propositis mente Hispanorum invadentium et etiam de controversia Vallisoletana, quae dicitur, inter Fratrem Bartholomaeum a Casaus, qui hominis dignitatem indigenarum defendebat, et Ioannem Genesium Sepulvedam orta, qui, ante iniurias et atrocitates Hispanorum in indigenas factas asseverabat eos non sicut homines sed potius sicut servos secundum naturam tractandos esse. In altera parte, peracta ea controversia acceptisque a rege Carolo V indigenarum iuribus, quasdam rationes fidei Christianae inducendae docendique indigenas tradam. In tertia parte denique de fructibus institutionis indigenis ab humanistis oblatae breviter loquar.

Sessio 2 – **Nancy Llewellyn** (Università cattolica del Wyoming): Musae Latinae novum orbem inventum modulantur

(Le Muse latine cantano la scoperta del nuovo mondo)

Quanti Vergilium fecerint poetae qui novum orbem ab Europaeis hominibus inventum lingua cecinerint Latina paucis adumbrabitur, quantoque Iesuitarum opere ac studio id effectum sit ut Musas solas Maroneas vates epici illarum terrarum coluisse videantur. Quam ad rem brevi explicandam tractabuntur carmina quattuor, scilicet *Columbeis Iulii Caesaris Stellae* (fl. s. XVI), *Columbus* atque *Californiados Carmen* Iesuitarum Hubertini Carrara et Iosephi Mariani de Iturriaga (fl. s. XVII), nec non carmen de *Gonzalo Guerrero* a Francisco Caprario, nostrae aetatis poeta Mexicano, recentissime editum.

13.00-15.30 – Prandium – Graeco-Romanae urbis parietinae lustrabuntur

**16.00 – IN COENOBIO DIVAE CLARAE DICATO (vulgo: CONVENTO DI SANTA CHIARA)**

16.00 – 17.00

Sessio 1 – **Andreas Fritsch** (Libera Università di Berlino): De Ioannis Amos Comenii “Novissima linguarum methodo”: quid Comenii “Opera Didactica Omnia” nostra aetate ad studia Latina refovenda conferre possint

(La *Novissima linguarum methodus* di Giovanni Amos Comenio: il contributo degli *Opera didactica omnia* di Comenio alla restaurazione degli studi latini)

Opus, quod inscribitur “Novissima linguarum methodus” (NLM) a Comenio primum anno 1649 Lissae (in Polonia) iterumque anno 1657 una cum “Operibus Didacticis Omnibus” (ODO) Amstelodami in lucem editum est. Quod opus, triginta capita complectens, iure ac merito maximum Comenii opus ad investigationem linguarum et rationem eas docendi spectans habetur. Tamen illud opus adhuc in linguam Bohemicam tantum et nuperrime etiam in linguam Francogallicam versum est. Tantummodo eius caput decimum, quod appellatur “Didactica analytica”, in complures linguas recentiores translatum est. Certe non omnia, quae Comenius ante CCCL annos exposuit, attamen multa eius inventa atque praecepta usque ad hanc aetatem valent ac digna sunt, quae denuo in memoriam revocentur et in usum recipiantur.

Comenius, quamvis esset imprimis theologus et philosophus (praecipuum opus eius inscribitur “De emendatione rerum humanarum consultatio catholica”, cuius editio princeps anno demum 1966 facta est), per totam vitam res scholasticas curare et rationem linguae Latinae docendae emendare perrexit. Primum autem illo libro scholastico, qui “Ianua linguarum reserata” inscribitur et anno 1631 editus est, tota Europa clarus factus erat. Postea in opere NLM suam rationem linguam Latinam aliasque linguas docendi explicat, quae ratio nixa est in libellis ab eo ipso exaratis, quibus nomina dedit “Vestibulum”, “Ianua”, “Atrium”, quorum nominum litterae initiales nomen efficiunt VIAE (ODO III 132). Ipse dixit: “Mysterium igitur Methodi linguarum novissimae totum in eo erit, ut per libellos quosdam artificiose constructos, in auctores VIA certa, brevis et amoena recludatur” (NLM XII 16).

Sessio 2 – **Camillo Neri** (Università di Bologna): “Sedens adversus te”:  
verttere aliosque intellegere  
(La traduzione come ascolto dell’altro)

Quid sibi vult veteres scriptores convertere, hic et nunc? Eos sinere loqui et nos alloqui. Exercitium unicum quod postulat eximias ingeni vires. Est quasi pugna qua comminus pugnamus cum ingeniorum animorum mentium diversitate ac varietate quae, locorum communium verbis oblecta et quasi personata, identidem et multimodis nostram indolem nostrumque animum signavit. Stimulus igitur est ad novandum, ad res superiorum aetatum nondum expressas investigandas, ad futurum tempus scrutandum. Defensio itaque multiplicatis, contentionis, dialogi. Ratio quaedam advenam, perque eum nosmet ipsos, audienti atque intellegendi.

Forsitan ergo alicuius momenti sit exercitium veteres scriptores convertendi, et hodie quidem?

17.00-18.00 – **Cleto Pavanetto** (Pontificia Università Salesiana –  
Fondazione Latinitas): De humanismo Christiano  
(L’umanesimo cristiano)

In ipso Renascentiae culmine primum apparet in Italia vox “humanista”, qua appellabatur professor litterarum humanarum. Vox derivatur ex prisca locutione *studia humanitatis*, qua M.T. Cicero et A. Gellius significare voluerunt institutionem liberalem seu litterariam. Nostra aetate inducta est etiam vox *humanismus*, ad indicandas bonas litteras, seu artes liberales.

Attamen, saltem parum accurate ducitur sermo 'de humanismo Christiano', quod quidem fit ex eo quod docti humanistae saepius inserebant in opera sua quandam religiosae inflammationis proprietatem.

Saeculis XIII et XIV factum est ut non solum merces, sed etiam nova litterarum genera a republica Veneta transirent ad urbes orae Histricae, per cancellarios, notarios perque episcopos diffusa. In Dalmatia, "magistri de schola in grammatica positiva" iamdudum docebant discipulos conscribere epistulas mercatorias et computare pretia.

Inter doctos viros qui claram nominis famam et amplam existimationem sibi comparaverunt annumerandus est *Marko Marulic*, qui nomen suum ad Latinum sonum accommodans vocari voluit "Marcus Marulus".

Natus est ille Spalati ex Christiana nobili familia d. XVIII m. Augusti a. MCDL. Adulescentiam degit in Italia, auditor Tidei Acciarini, qui Graecas et Latinas litteras eum docuit in urbe Spoletio. Mature ille apparuit omni fere disciplinarum genere instructissimus. Vitam solitariam appetens, studiis philosophicis se dedit rerumque divinarum meditationi. Ut concivium animos confirmaret contra Macometanos invadentes, carmine, cuius inscriptio *Judit*, Croaticis versibus retexit narrationem biblicam de Iuditha vidua

Maius tamen momentum induunt ipsius multa opera Latine conscripta, quae religiosam rem plerumque referunt. Inter ea, praecipuum opus obtinet carmen "Davidias", in XIV libros dispersitum. Argumentum, in Bibliis simplici inaffectedoque stilo expressum, in epicum grandisonum carmen adstrinxit, heroico metro, multa a poetis Latinis Vergilio, Statio, Lucano Ovidio et Prudentio mutuatus. Inducta comparatione cum Vergiliano Aenea, David celebratur Hebraeorum rex, cuius laudatur eximia in Deum pietas, iustitia in subditos, aequitas in hostes. Philistinorum bellator Goliath, insolitum in modum armatus ut terrorem iniciat in hostes, comparationem invenit cum Aiace Homericum et cum Mezentio Vergiliano.

18.00-18.30 – Pausa

18.30-19.15

Sessio 1 – **Laurent Grailet** (Università di Liegi): Quid Busbequius de re publica moribusque Turcarum senserit  
(Conoscere l'altro, apprezzare l'altro: Busbequio e i turchi)

Augerius Gislenius Busbequius, qui et Busbecq vulgo vocatur, natione Flandricus, praeclarissimus Ferdinandi orator fuit apud Suleimannum Turcarum imperatorem. De eius diuturna legatione, quae inde ab anno 1554 exeunte ad annum 1562 acta est, in Epistolis Turceicis quattuor narratur. Quae Epistolae imperii Othomanici amplam descriptionem continent, ad religionem, res aedificatorias, animalia, arbores atque stirpes multaque alia diversa pertinentem. Hic mihi propositum est inspicere in qua opinione fuerit Busbequius de re publica Turcarum, quales commoditates in ea viderit et quomodo exemplum aliquarum Turcarum virtutum ad Christianitatis vires reficiendas utile fieri posse censuerit.

**Sessio 2 – Akihiko Watanabe** (Western university, Bellingham, Washington): De Raphaelae von Koeber et de initiis studiorum classicorum in Iaponia saec. XIX

(Raffaele von Koeber e la ripresa degli studi classici in Giappone nel sec. XIX)

Inter Europaeos qui saeculo XIX cultum civilem “occidentalem” importaverunt in Iaponiam haud minima fama celebratur usque ad hoc tempus Raphael von Koeber; qui stirpe Russica natus et in Germania educatus, venit anno 1893 in Iaponiam et per triginta annos usque ad obitum suum docuit philosophiam musicam linguasque classicas; divitias nimiamque famam magnopere aspernatus, amoris gratia non rerum sed potius spiritus et artium Europaeorum plurimos discipulos allexit et erudit. Vitaque eius mores cogitata de usu litterarum classicarum apud diversos populos multa adhuc nos docere possunt, quippe qui etiam labore et exemplo suo effecerit ut litterae classicae post intercapedinem trium saeculorum denuo colerentur in universitatibus Iaponicis.

19.15-20.00

**Sessio 1 – Erzsébet Galántai** (Università di Szeged – Ungheria): De quibusdam historicis, qui humanistae iidemque et Christiani erant (saec. XV-XVI). Annotationes ad antiquam, Christianam atque hodiernam humanitatem spectantes

(Su alcuni storici umanisti cristiani del Quattro e Cinquecento)

Relatrix in animo habet - pro ingenii exiguitate - proponere, quanti momenti fuerint in Hungaria humanitatis studia saec. XV et XVI, potissimum sequens opera Petri Ransani Panormitani, episcopi Lucerani, Ludovici Tuberonis Dalmatae Abbatis Nicolaique Olahi archiepiscopi Strigoniensis, qui commercium epistulare etiam cum Erasmo habuit. Adumbrabit etiam, quam saepe eorumdem in scriptis appareant vestigia antiquorum humanistarum Sacraeque Scripturae, quantamque vim sententiae auctorum supra memoratorum habeant ad “humanum genus humanius faciendum”.

Oratrici – sicut huius conventus moderatoribus – persuasum est humanitatem non ad unam pertinere aetatem a superioribus posterioribusve disiunctam.

**Sessio 2 – Paola Marongiu** (Liceo “Dante” di Firenze): De commercio cum aliis gentibus: quid Alexander Pini Florentinus medicus saeculi XVII de moribus Turcarum senserit

(I Turchi descritti da Alessandro Pini)

Argumentum acroasis est relatio quam Alexander Pini, medicus Florentinus, in Medio Oriente diu versatus, saeculo XVIII ineunte de moribus Turcarum composuit. Ut permultis iis temporibus accidebat, ad peregrinandum pulsus est studio rerum naturae et cupiditate novas gentes cognoscendi. Sed narratio eius ab aliis expositionibus eadem tractantibus benevolentia magnopere differt, qua

homines tam dissimiles iudicat. Nam Turcarum consuetudines valde laudat ut exempla quae ad societatem humaniorem faciendam et cultum vitae meliorem reddendum imitanda proponit. Itaque cum eum movent institutio puerorum, misericordia pietasque erga senes et pauperes, decus in omnibus condicionibus servandum, tum pulcherrimi horti et artis musicae amor eum delectant. Quae omnia doctus vir animo spectat classico cultu imbuto ut antiquorum auctorum frequentes prolationes docent, cum ei persuasum sit inter Europaeos et Orientales homines, mutua notitia, utile et fructuosum commercium fieri posse.

21.00 – Cena

## Die XVIII mensis Iulii

---

9.00-12.15 – IN HORTO BOTANICO (vulgo: ORTO BOTANICO)

De humanis litteris et naturalibus quaestionibus

ARGUMENTA:

1. *Quid rerum naturae cognitio ac scientia cum humanitate* (L'umano nelle scienze)
2. *Quantum litterae et naturalis historia coniugari possint* (Cultura umanistica e cultura scientifica senza barriere)

9.00 – 9.45

Sessio 1 – **Vladislav Dolidon** (Università di Parigi VII): *Uno Calliopen comitatu cum Urania esse, vel De astrologia poetica*  
(*Uno Calliopen comitatu cum Urania esse: l'astrologia poetica*)

Ei studioso, qui cum antiquis consuetudinem iungere maiorem cupit, consue-scendum est et una cum illis circumiacentia omnia inspectare, ipsumque in caelum adiuvantibus ipsis pari animo suspicere : quod non solum astrologi, sed etiam poetae facere solebant. Qualis vero astrologus fuerit poeta, quem poetam etiam se praebuerit astrologus : talia indagare conabimur - de astrologia autem rationali stricto sensu, quam astronomiam dicimus, loquemur, nec de prognosticis nebulosis. Nam versus quidam Homerici nautam non contemnenda docent ; et invicem astrologus tam peritus artis suae quam Ptolemaeus rationem dicendi nonnunquam adhibet, quae homini hodierno videri potest ad pastorem poetamve aptior. Qui viri universarum scientiarum usuumque coniunctionem, nulla doctrina sprete aut praetermissa, nobis exemplo praebent.

Sessio 2 – **James Dobreff** (Università di Lund): *De Rolandro botanico eiusque humanitate*  
(*Il Rolander e la botanica umanistica*)

Anno 1744 Daniel Rolander se ad universitatem Uppsaliensem, quae in Suecia non longe ab urbe Stockholmia sita est, contulit, ubi Carolus Linnaeus iam



magna fama non modo inter Suetos sed inter Europaeos polleret. Quae Rolander de variis insectis scripserat animum Professoris Linnaei movebant. Ocasio deinde studiosum vel discipulum ad Surinamiam mittendi Linnaeo oblata est, qui hanc facultatem Rolandro suo concessit.

In illa colonia Batavica a 20 die mensis Iunii anno 1755 ad diem 20 mensis Ianuarii omnia quae in Florae et Faunae regnis inveniuntur investigavit, collegit (ubi licuit) et in suis pugillaribus descripsit. Illa terra Surinamiae relicta aliquot insulas, quibus nomen India Occidentalis datum est, lustravit et descripsit.

Anno 1756, mense Octobri Stockholmiam, in urbem Suecicam, reduci ob causas non bene intellectas rixae cum Linnaeo obortae sunt, quae vel ita graves fuerunt, ut Rolander Linnaeo aditum in suum Diarium et Herbarium omnino negaverit. Inter annos autem 1761 et 1765 Havniae duobus Danicis Professoribus suum Diarium et partem Herbarii vendidit. Paene post triginta annos et aliquot munera humilia gesta in gravi paupertate animam ebullivit Daniel Rolander.

Ut Rolander durius fatum passus est, sic Diarium eius turpiter neglectum in bibliotheca Historiae naturalis Havniensi iacebat. Quamvis multi historici, qui in Suecia docuerunt, Diarium illud asservari in Dania sciebant, tamen fama Rolandri tam mala ob varias et iniustas causas fuit ut doctoribus operae pretium haud videretur illud inspicere. Sat eis fuit Rolandrum et illud Diarium condemnare.

Paene duos annos abhinc a societate quadam mercede conductus sum ut 600 paginas illius Diarii ex lingua Latina in sermonem Anglicum verterem. Multum et diu resistebam, nolens dum thesim doctoralem componerem alios labores nimis graves suscipere. Tandem exemplum illius manu-scripti postula- vi et inspexi. Inveni quidem auctorem miro ingenio praeditum, qui non modo optimas descriptiones lectoribus reliquit sed etiam longos et elegantissimos locos hic illic suo in Diario spargit. Itaque ubi Plinium Seniore exspectavi, inveni quendam Petronium Plinianum qui suum lectorem narrationibus allexit ut Historiam Naturalem doceret mirificam.

Haec acroasis quis fuerit Daniel Rolander et quid in suo Diario scripserit explicabit. Hoc facto pro virili conabor explicare cur Diarium Surinamiense lectu dignissimum omnibus lectoribus sit nec tantummodo studiosis Historiae Naturalis et paucis aliis.

## 9.45-10.30

Sessio 1 – **Francisco Molina Moreno** (Università del Kuban – Russia):  
De Sirenibus sphaerarum harmoniae concinentibus  
(Il canto corale delle Sirene all'armonia delle sfere celesti)

De musica mundana in litteris Graecis primus in apocalypse, ut ita dicamus, rerum ad vitam animae post mortem pertinentium, hoc est, in fabula vel somnio, quod Eris inscribitur, quodque Plato in ultimo libro *Rei Publicae* canit. Itaque de Sirenibus, illam caelestem musicam in Platonis fabula concinentibus, cum Universi orbibus a Platone aliisque scriptoribus coniunctis, hic orationem faciemus. Postea quo modo Sirenes cum sphaerarum musica coniungantur, quidque earum munus in fabula, c.n. Eris, sit, pervestigabimus. Platonicas Sirenas quasi sonum caelestem esse (ut ait Theo Smyrnaeus), quaeque de eis ali

aetate Romana interpretati sint, Platonis rationi disciplinaeque tribui posse, nobis erit demonstrandum: e. g., Sirenum cantum, Plutarchi quidem sententia, animas in caelestem immortalium sedem ducere, vel, si Neoplatonicis philosophis credimus, Sirenas ipsas animas esse. Quae omnia fundamentum iam in Graecia antiquitus habebant.

**Sessio 2 – Dominique Viain** (Università “San Pio X” di Parigi): **Quid humanistae de vita in contemplatione et cognitione posita senserint: impediaturne modus vivendi, qui nunc est, vitam contemplativam**  
(Gli umanisti di fronte alla vita contemplativa)

Omnium aetatum sapientes ac philosophi, semper et ubique, contemplari ac meditari res tam humanas quam divinas, summum bonum hominis esse censuerunt ac felicitatem, iactationem vero animi et corporis, stultorum ac insipientium esse.

Hodierno autem tempore, ea tantum quae ad colloquendum, conscribendum, peregrinandum, fabricandum, uno verbo ad quicquam agendum aptissima sunt, magni aestimantur et laudantur; instrumenta vero non desunt, immo plura sunt hodie, quae inquietum istum vivendi modum fovent.

Quid ergo de vita contemplativa? Licetne etiam illam persequi et consequi? Quid de his rebus nos monet vel docet humanitas?

10.30-11.30 – Pausa – Hortus botanicus lustrabitur

11.30-12.15

**Sessio 1 – Filippo Graziani** (Scuola d’ingegneria aerospaziale di Roma): **De explorandis spatiis sidereis quae supra nos sunt et homine qui intra nos est**  
(Esplorare lo spazio sopra di noi e l’uomo dentro di noi)

Tres in partes haec oratio dispertietur. Prima, quae ad spatia siderea exploranda pertinebit, brevi adumbrabuntur quae his ultimis quinquaginta annis evenerunt inde ab anno millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo, quo primum satelles missus est in orbitam (quod iam abhinc quinquagesimum annum actum est), usque ad hominis excursions extra hunc terrarum orbem, ad iter Luna tenus factum, ad stellarum errantium imagines machinis arte exstructis exceptas. Mentio quoque fiet de propositis inceptisque variis ad exitum perducendis, qualia e.g. futura sint inter stellas peregrinationes et desideriosa, haud vero neglectis difficultatibus ad “siderea spatia celebra” pertinentibus vel locorum inquinamento, quod ex quisquiliis variis in spatium inane atque infinitum deiectis consequitur. Parte altera, de theoria, usu et fabrica artificiosi satellitis, quibusdam imaginibus allatis explanabuntur viae rationesque quibus discipulos nostros docemus quomodo elaboretur, aedificetur, atque in orbitam missus parvus satelles regatur. Tertia denique parte, de homine explorando, ille considerabitur in homine insitus libertatis amor quem experiri licet, cum satelles e terra emissus quasi contentionem gravitatis qua humi premitur vincens avolat ad caelum usque in stellarum gyros.

Sessio 2 – **Cajsa Sjöberg** (Università di Lund): De Herico Gustavo Lidbeck, Linnaei discipulo  
(Un discepolo del Linneo: Erico Gustavo Lidbeck)

Ericus Gustavus Lidbeck, Suetice *Eric Gustaf Lidbeck*, natus est anno 1724 et diem ultimum anno 1803 obivit. Noster Ericus inter Linnaei discipulos clarissimos numeratur. Genus illud herbarum, quod *Lidbeckia* nuncupatur, a nostro Lidbeck suum duxit nomen. Nihilominus inter historiae naturalis scriptores haud magnam famam consecutus est. Ipse Linnaeus Erico Lidbeck amicissime usus est, immo Lidbeckius in aliquot itineribus doctrinae augendae causa susceptis dominum Linnaeum comitatus est. Ille unus Linnaeo in itinere Vestgothico socius fuit. Lidbeckius non solum naturalem historiam investigavit, verum etiam suas regni Plantarum investigationes in usus oeconomicos vertere solebat, vel saltem vertere conabatur, ut talia incepta Sueciae, eius patriae, et posteris magno essent emolumento.

Cum Linnei discipulus esset, sic iugiter dedit operam “utilitati plantationum”, si Lidbeckiana locutione uti licuerit; utilitas plantationum idem sibi vult atque “plantare” (quod vocabulum apud Sanctum Augustinum invenitur) sive plantas serere. Et sic quasi semper ante oculos suos hanc UTILITATEM habere solebat Lidbeckius dum munere Professoris apud Universitatem Lundiensem itemque praefecti in Suecico instituto plantis serendis fungebatur.

Oratio mea ad illas res vel argumenta spectabit, ad utilitatem scilicet plantationum, ad ipsum Lidbeckium, atque ad naturalem historiam huiusque disciplinae monumenta quae apud Universitatem Lundiensem inveniuntur.

12.45-15.30 – Museum Capitis Montis lustrabitur – Prandium

**15.45-20.30 – IN SPECULA ASTRONOMICA NEAPOLITANA**  
(**vulgo: OSSERVATORIO ASTRONOMICICO DI CAPODIMONTE**)

**De caelo astris distincto et ornato quod est supra nos ac de verit rectique lege quae in nobis est**

ARGVMENTA

1. *De cosmologia atque humanitate* (Umanesimo e cosmologia)
2. *Quid physicorum recentissima inventa humano generi portendant* (Le prospettive della fisica moderna per l’umanità)

16.00-17.00 – **Giorgio Stabile** (Università di Roma “La sapienza”): Ratio, proportio, harmonia: qua ex parte humanismus cum rerum eversione in naturalibus quaestionibus facta coniungatur  
(*Ratio, proportio, harmonia*: Umanesimo e rivoluzione scientifica)

Propositum mihi est demonstrare quam arto nexu et quasi constantia humanismus, qui dicitur, cum physicorum conversione saeculo decimo septimo facta coniungatur, quamque stricte tempora Alberti illius, Cusani et Leonardi Vincii

ad tempora Galilei Cartesique pertineant, cum omnium communis sit notio illa humanistarum praecipua, videlicet ratio, quae constat ex proportionibus atque harmonia. Proportio quidem (variis vocata nominibus, e. g. ratio, habitudo, analogia) maximum habuit momentum in tribus inter se connexis notionibus, quae ad hominum vitam spectant, novo atque insolito animo considerandis; de homine scilicet loquor, de domo, deque orbe terrarum, hoc est de cadaverum sectione et medicina, de architectandi arte et mundi descriptione, de cosmologia et siderum cognitione, necnon de temporis historiaeque notione.

In Nicolai Cusani scriptis, et quidem de cosmologia, haec proportionis potestas novandi ad effectum adducitur atque inde ad Galileum Cartesiumque usque manat.

17.00-17.30 – **Giovanni Fabrizio Bignami** (Agenzia Spaziale Italiana):  
De visibilibus atque invisibilibus in universo mundo  
(Realtà visibili e invisibili nell'universo)

17.30-18.00 – **Massimo Capaccioli** (Università "Federico II" di Napoli):  
Quae de pluribus mundis opinio ab Epicuri aetate usque ad nostra tempora fuerit  
(La pluralità dei mondi da Epicuro a oggi)

Antiquis temporibus cum opinio communis de singulari dumtaxat terrarum orbe, natura proprietateque a caelo distincto valeret, fuerunt tamen qui dissentirent pluresque esse mundos putarent. Quarum omnium sententiarum poeticis numeris Lucretius nobis compendium reliquit. De pluribus mundis disputatio cum "potestatis dei" notione coniuncta media quae dicitur aetate exeunte iterum praepollens apparuit, ita ut postea quaestiones illae in limite quasi ponerentur inter fas et nefas quin etiam in blasphematis numerarentur. Quod quidem argumentum, de pluribus scilicet mundis, decimo septimo saeculo rerum in naturalibus quaestionibus eversione renatum, cum illustres viri docti ex protestantibus, tum Iesuitae interpretati sunt idemque Gabriel Doppelmayer ac Philippus Morghen carminibus celebraverunt. Saeculo denique duodevicesimo hac de re inter viros peritos constitit, cum posteriore saeculo ineunte Schiaparelli insuper et Lowell illis operam impendentibus imago quaedam, ut ita dicam, facta sit cunctorum hominum mentium communis. Nunc haec omnia in medio sunt, cum nova sidera extra orbem solarem inveniuntur, cum numerus eorum quae circa Solem currant recenseatur, cum machinae exploratoriaeque in caelum imitantur, cum totum universum centenis stellarum milibus redundans, quae aliorum siderum incolas alere possint, investigetur. Attamen magnis impensis immensoque investigandi artis progressu ipsa quaestio de "altero", per quem etiam quid "ego" sibi velit intellegere possimus, incerta manet.

18.00-18.30 – Pausa

18.30-19.30 – **Claudio Piga** (Accademia Vivarium Novum): De “entropia”, quae dicitur, tamquam indice leti, quo natura universa inclinatur (L'entropia come indizio della tendenza universale alla morte)

“Nativus est mundus” – teste Lucretio – “et mortali consistit corpore”. Cum res quaedam in hac “machina mundi” in lucem edantur, tum sunt aliae quae pereant, iuxta vetus illud physicorum placitum, quod nihil ex nihilo fieri monet. Sed in hac “rerum summa”, cum “nulla loci sit copia circum”, in eam partem res mutantur, ut ad pristinam et eandem compagem reverti nequeant unde digressae sunt. Nam “entropia”, qua rerum turbatum ordinem metimur, augebitur continenter, prout naturae vires et res mutantur. Unde fit ut mundus ad letum paulatim inclinetur, quod “thermicum” vocatur, ex eo quod dum vires in varias species transfigurantur, aliquid caloris diffugit et manet et cumulatur aliud super aliud.

19.30-20.30 – **Kurt Smolak** (Università di Vienna – Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum): Ab “Abracadabra” ad “zytotubulos”. De usu linguae Latinae in quaestionibus naturalibus obvio (Da abracadabra a zytotubulus: il latino delle scienze)

Hac acroasi demonstrare velim, qui factum sit, ut usque ad nostram aetatem in scientiis naturalibus lingua Latina – adiunctis saepius verbis seu verborum particulis e Graeca lingua sumptis – plurimum valeat, cum rebus recenter inventis creativae nomina sunt danda. Sermo itaque mihi erit primum de origine culturarum occidentalium ex reliquiis scientiae, doctrinae, humanitatis antiquorum mediante ecclesia catholica saeculis ineuntis mediæ aevi exortarum; quarum concepta ut exprimerentur – sive litteris, sive loquellis – una lingua Latina tum apta et visa est et re vera fuit. Deinde agetur de operibus Aristotelis summi philosophi eiusque commentatoribus Latine versis atque a theologis scholasticis non sine opera Arabum plene receptis. Ea ratione animi doctorum hominum ad studia rerum naturalium promovenda magis magisque accendebantur quidem, deerat vero forma Latini sermonis ad hoc officium idonea. Ergo novum quoddam idioma Latinum novusque stilus oriebatur plenum tot vocum novarum sive e Graeco ad litteram translatarum sive necessitate urgente creatarum. Tum nunnulla dicenda erunt de commutatione rerum, quae fiebat, cum renascente antiquitatis cultu atque humanitate docti darent operam, ut linguae Latinae pristinum elegantemque, ut iis videbatur, statum restituerent, maxime Ciceronem, Vergilium aliquosque aureae Latinitatis auctores imitati. Attamen etiam tum non defuerunt, quorum interesset scientiam rerum naturalium medicinaliumque augere subtiliter in rerum naturas inquirendo. Quos recte fundatores temporum recentiorum appellaveris. Qui paene omnes quae invenerant lingua Latina vocibus, ut dictum est, Graecis, ubi opus erat, additis, litteris mandabant: Isaacius Newton et Carolus de Linné exempli gratia nominentur. Quin etiam Polignac quidam Francogallus, ecclesiae catholicae cardinalis, inventa naturae investigatorum suae aetatis carmine Latino doctissimo laudavit, vehementer reiceta philosophia Lucretii Epicuri fautore. Eorum auctoritate denique evenit, ut, naturalium scientiarum studiosi etiam nostra aetate, quamvis – dominante in omnibus gentibus idioma Anglico, quod quidem vocibus Latinis abundare res est notissima – Latina Graecaque linguis ipsi parum

calleant –, tamen, si quid novi inventum est, quod novo termino tecnico denominetur, ad thesaurus linguarum quas classicas vocamus, confugere soleant.

21.00 – Cena

## Die XIX mensis Iulii

---

8.30 – Participes ex Publico Ephebeo a “Victorio Emmanuele” nuncupato Pompeios proficiscentur

9.15-13.00 – Monstratore duce lustrabunt participes antiquam urbem Pompeianam

13.15 – Prandium

**15.30-19.00 – POMPEIIS, IN THEATRO AEDIVM BARTOLO LONGO DICATARVM (vulgo: TEATRO DELL’ISTITUTO BARTOLO LONGO, POMPEI)**

**Bona vitae perpetua manent, commoda effluunt atque evanescent**

ARGVMENTA

1. *De re publica litterarum universa* (L’universalità sincronica e diacronica della cultura intesa come corality umana)
2. *De vita hominis beata* (La felicità dell’uomo secondo gli umanisti)

15.30-16.30 – **Terence Tunberg** (Università del Kentucky): De Iacobo Pontano Iesuita deque Ciceronis imitandi studio (Giacomo Pontano e il ciceronianismo)

Ut alii humanistae non pauci, ita Iacobus Pontanus Iesuita (1542-1626) dialogos Latinos composuit unde pueri Latine scribere et loqui discentes specimina sermonis familiaris haurirent. Colloquia Pontani seu ‘Progymnasmata Latinitatis’ – sic enim Pontanus suos dialogos nuncupavit – si quis diligenter legerit, non solum discet qualis discipulorum eo saeculo fuerit vita, sed Pontanum ipsum audiet disserentem de ratione quadam dictionis Ciceronianae imitandae, quae in Europa septentrionali saeculo sexto decimo exeunte videtur multum viguisse. Propositum est ut hanc doctrinam paulisper excutiamus nonnullos locos cum aliis ex operibus tum maxime sumptos e Pontani dialogis considerantes.

16.30-17.30 – **Tullio Gregory** (Università di Roma “La sapienza”):  
 Quomodo viri docti qui ineunte aetate recentiore floruerunt verba ad  
 philosophiam pertinentia sive converterint sive finxerint  
 (Alle origini della terminologia filosofica moderna: traduzioni, calchi,  
 neologismi)

Non paucis exemplis allatis, demonstrat auctor quantum interpretationes  
 valuerint ad humanum cultum per saecula et aetates hominum inter sese natio-  
 ne, doctrina, moribus diversorum tradendum: nam linguae nonnisi viae sunt et  
 instrumenta: qui igitur novis rebus nova saeculorum decursu, iam inde a  
 Boethio usque ad Cartesium et Kantium indidere nomina, ii vanis verborum  
 ampullis rebus vacuis perpetuo adversati sunt. Nam illud sibi in primis propo-  
 nebant, ut humanitas et doctrina a maioribus et ab aliis gentibus sive Graecis,  
 sive Arabibus acceptae et in novam speciem reformatae aequalibus posterisque  
 traderentur; ut hoc facerent, non dubitarunt pro Graecorum vocabulorum lit-  
 teris congruentia elementa linguae Latinae substituere, exempla quaedam  
 externas imitati linguas proponere, ita ut aliorum insistentes vestigiis novas  
 etiam vires et significationes veteribus subicerent verbis. Hoc modo et cum anti-  
 quis hominibus et cum gentibus a nobis remotis se conferentes, docti cuiusque  
 aetatis viri, qui praesertim Latine scribebant loquebanturque, sibi quasi rena-  
 sci videbantur. Humanistae quidam, et in primis *Ciceroniani* illi, verba et voca-  
 bula, quibus usi erant philosophi scholastici, vehementer et acerbissima vitu-  
 peratione carperunt: at optimus quisque defendit linguae quandam liberta-  
 tem; alii unam esse rationem variis diversisque vestibus indutam affirmantes,  
 alii vero siccam ac bene definitam dicendi viam insectati, alii denique, ut  
 Erasmus ille Roterodamus, vivam tuentes linguam, quae novis rebus novisque  
 notionibus facile aptari posset.

17.30-18.00 – Pausa

18.00-19.00 – **Mauro Agosto** (Pontificia Università Lateranense): Quid  
 de re publica regenda humanistae inter exiens XIV et medium XV saec.  
 senserint  
 (Il pensiero filosofico-politico tra la fine del sec. XIV e il principio del  
 XV)

Aetas inter exiens saec. XIV et medium saec. XV eminet peculiariter in historia  
 doctrinarum de re publica regenda. Post ruinam imperii universalis, ortus  
 principatum iuris nationalis principium dederunt renovatae disceptationi  
 perinde de ipsa iuris et legis origine atque de momento et natura vitae consoci-  
 atae. Auctor sibi proponit, ut legens aliquot textus maxime necessarios  
 demonstrat, quo modo mutatae sint eo temporis intervallo notiones iuris legis-  
 que naturalis, felicitatis publicae, boni communis una cum parte homini tribu-  
 ta in legibus ferendis. Peculiari ratione auctor recenset opera cum a peritis  
 sacrorum canonum tum a sapientibus illius aetatis, in quibus sunt L. Valla et  
 M. Garatius Laudensis, scripta.

## 20.00 – In ODEO POMPEIANO (vulgo: ODEON DEGLI SCAVI)

Plauti MILES GLORIOSVS (quam comoediam histriones sodalitates, c.n. “Te.c.t.a. Clan H”, moderante Lucio Mazza, et symphonicorum grex, c.n. Synaulia duce Valthero Maioli edent)

21.30 – Cena

## Die XX mensis Iulii

---

### 9.00-13.15 – IN MVSEO ARCHAEOLOGIAE NEAPOLITANO ET IN AVDITORIO A VINCENTIO GEMITO NUNCVPATO (vulgo: MUSEO ARCHEOLOGICO NAZIONALE E SALA GEMITO)

#### De veterum sapientia

##### ARGVMENTA

1. *De veterum memoria et nobis* (L'antico e noi: il magistero di T. Zielinski)
2. *Aliud esse humanismum, aliud classicismum, qui dicitur* (Umanesimo e classicismo)
3. *Quid maiorum litterae ad nostram aetatem conferre possint* (Lo studio del patrimonio greco-latino e i problemi del mondo attuale)

9.00-10.0 – **Wilfried Stroh** (Università di Monaco di Baviera): De origine vocum “humanitatis” et “humanismi” (Humanitas e humanismus: storia di parole e storia di idee)

Vox “humanismi” (Germ. *Humanismus*, It. *umanesimo*, Angl. *humanism* etc. etc.) nunc omnibus in ore est, sed, ut Aristotelis verbis utar, πολλαχῶς λέγεται. Nam alii humanismum volunt esse benevolentiam quandam erga homines, alii rationem hominum educandorum (nec de hac ipsa idem sentire videntur). Multi etiam hoc verbo utuntur ut aetatem renascentium litterarum aut similes aetates in historia hominum obvias significant; nec desunt qui humanistas dicant eos qui se a timore dei Orcique liberaverint (ut nunc Anglophoni plurimi). Omnes autem in eo consentire videntur quod humanismum rem bonam utilem-quem existimant. Vnde autem haec tanta opinionum sive notionum diversitas?

Incipiendum est ab eo quod omnibus notum est: verbum ipsum a. 1808 inventum esse a Friderico I. Niethammer, qui tum in Ministerio Rerum Interarum Bavarico gymnasia renovare volebat. Opposuit enim ille “humanismum suum” ei rationi educandi, quam tum ubique vigentem nomine “philanthropinismi” notavit. Humanismum porro dixit ad naturam rationalem hominis spectare, philanthropinismum contra ad naturam bestialem. Quod



eam disciplinam autem humanismum, non rationalismum vocavit, secutus est veteres illos magistros qui se inde a tempore renascentium litterarum iam humanistas appellaverant. Iam enim Petrarca dicebatur studia humanitatis renovavisse.

Revocamur igitur ad eam vocem humanitatis, quae et ipsa duplicem intellectum habet: nam modo idem esse videtur ac παιδεία, modo quasi φιλανθρωπία. Id unde extiterit maxima inter viros doctos dissensio est, cum alii eam notionem humanitatis Panaetio Scipionum magistro tribuant, alii nativam ac Romanam existimant. Demonstrabo autem eam non vetustissimam, sed e maxima parte a Cicerone formatam et expressam esse. Qui pater aut avus non solum studiorum humanitatis, sed etiam humanismi aliquo iure dici potest.

**10.00-10.30 – Enrico Renna (Liceo “Panzini” di Napoli – Accademia Vivarium Novum): Hieronymus Lagomarsini summus Ciceronis cultor (Un grande ciceroniano: Girolamo Lagomarsini)**

Inter omnes constat Hieronymum Lagomarsini ex iis qui Ciceronis opera pertractaverint maximum exstitisse cultorem, octavo decimo saeculo post Chr. n. Hieronymus noster, enim, aetatem suam consumpsit in opera Ciceronis pervestigando, cuius flagrabat studio. Nam Florentiae cum esset magnam in spem venerat se aliquando novam locupletioresque Ciceronis editionem conficere posse.

**10.30-11.15**

**Sessio 1 – Biagio Amata (Pontificia Università Salesiana): Veterum sapientia, Graecorum Romanorumque inclusa litteris (La sapienza degli antichi)**

Ita incipit Constitutio Apostolica Ioannis Papae XXIII, die XXII mensis Februarii a. 1962 edita in Petriano Templo: “itemque clarissima antiquorum populorum monumenta doctrinae, quasi quaedam praenuntia aurora sunt habenda Evangelicae veritatis, quam Filius Dei, gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator ac deductor generis humani, his nuntiavit in terris”. Quam ob rem Ecclesia et bonae voluntatis viri eius modi sapientiae documenta, in primis Latine Graecaeque conscripta, sapientiae ipsius et humani cultus auream quasi vestem, summo quidem cum honore coluerunt, quippe quae cum ad humani generis profectum, tum ad mores conformandos haud parum valerent, atque in usum eadem receperunt sive in religiosis caerimoniis et in Sacrarum Scripturarum interpretatione, sive in ferendis et communicandis legibus humanae consortionis, usque ad praesens tempus in ipsa Catholica Ecclesia, quae Latina proprio iure vocatur, sive in quibusdam aliis regionibus, ut vivacis antiquitatis numquam intermissae voces semper vigerent.

At in varietate coaevarum linguarum profecto ea eminere perseverat, quae primum in Latii finibus exorta, mirum in modum in regionibus ad occidentem vergentibus profecit, siquidem non sine divino consilio evenit, ut “sermo qui amplissimam gentium consortionem sub Romani Imperii auctoritate saecula plurima sociavisset, is et proprius Apostolicae Sedis evaderet et, posteritati servatus, Christianos Europae populos alios cum aliis arto unitatis vinculo coniun-

geret”. Etenim lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata, cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se aequabilem praestet, nullius partibus faveat, fere omnibus postremo videatur grata et amica. Neque neglegendum in sermone Latino nobilem inesse conformationem et proprietatem; siquidem loquendi genus pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis habet, quod unice et perspicuitati conducit et gravitati. His de causis adlaborandum est coniunctis viribus ut Latina lingua studiose asservetur et in Ecclesia Latina et in nova Europa, sollemnisque documentis pontificii adhortationes ad actum deducantur, ut magnifica caelestis doctrinae sanctissimarumque legum vestis inconsutilis maneat et in sui exercitatione magisterii eadem utantur sive sacrorum administri et ecclesiastici viri, sive bonae voluntatis homines ubicumque sint gentium ut inter se expeditius habere possint commercium pacisque et unitatis dona foveant servent diffundant.

Sessio 2 – **Matthew McGowan** (Università “Fordham” – New York): “Sola loco non exulat mens”: de exilii argumento a scriptoribus aetatis classicarum, renascentium, hodiernarum litterarum usurpato acroasis (Sola loco non exulat mens: il tema dell’esilio nei classici, negli umanisti, nei moderni)

Propositum est Ovidii Senecae Petrarcae poetarumque recentiorum opera scrutari de exilio. Naso in carminibus ex Ponto scriptis exilium proprie de loco Tomitano et translate de arte sua, quae principe iubente una cum poeta in imperii limite exulat, usurpat. Exulis tamen vox Romae et in posteritatem per artem audiri potest. Id vero qui hodie fortunam artis poeticae quasi extorris in universum contemplantur curatque Hibernus poeta Theodoricus Mahon monstrat. Apud utrumque quod hominem exterminatum reddit miserimum flendi causa est exilium. Philosophus autem Seneca in dialogo *ad Helviam matrem de consolatione* exilium neque malum neque dolendum esse arbitratur. Omnis enim locus sapienti ratione instructo est patria nec quicquam in eius animo mutat mutatio loci: exilium est nil aliud nisi iter in locum novum. Senecae dicta contemendum omnino esse exilium humanista in opere suo *de remediis utriusque fortunae* sequitur Petrarca. Hos apud omnes exilii vim non solum ex loco ipso sed vero ex animi habitu pendere apparet.

11.15-11.45 – Pausa

11.45-12.30

Sessio 1 – **Wolfgang Schibel** (Università di Mannheim): Lingua Latina Europaeorum sermo memoriae (Il latino lingua europea della memoria)

Memoria his temporibus multis odiosa esse videtur, sive animi facultatem exercendam sive ante dictorum et factorum praesentiam admonitionemque spectes. Videamus quantum illa ad litteras Latinas colendas pertineat.

Memoriam ad linguas discendas plurimum valere iam dudum eluxit.

Quintiliano duce, testibus recentioris aevi magistris videbimus linguam patriam vel exteram pronuntiatione colloquioque facile menti imprimi, ope memoriae promptam servari. Quod quidem novissimis scientiae nervorum cerebrique probatur experimentis, quibus et loquendi normam vimque verborum magnam partem sola observatione vel tacita quadam cogitatione in usum converti confirmatur. Magistri igitur nostri sibi persuadeant memoriam tam in scholis quam domi continuo colendam esse, non tamen more illo praestigatorum, qui in foris stupendos se praebent, sed ritu eorum, quibus res et verba memorabilia saepius repetere ac meditari voluptati esse solet.

Litteras Latinas scimus thesaurum esse eloquii maiorum ac sapientiae vel locupletissimum, cuius ope singuli iuvari, cuncti autem ut familiares consociari possumus. Hunc priscae philosophiae fontem, quem hodie exarescere patimur, aevo recentiore Adagiorum Chiliades ab Erasmo collectae explicataeque maximo cum fructu recluserunt. Curriculi Latini praescriptum maximi momenti esse arbitror ut memoria sapientiae et elocutionis maiorum nobis nepotibus heredibusque in usum cottidianum tradatur. Itaque optandum est, ut proverbialia, dicta, sententiae, epigrammata, elogia, flosculi omnis generis et aevi discipulis memoranda proponantur, ut inde linguae speciem cum sapientia libare possint.

Ad memoriam rerum gestarum servandam litteras Latinas plurimum facere ostendam. Notum quidem est res in Europa gestas per duo milia annorum magnam partem litteris Latinis memoriae traditas esse. Fontes tamen omnis aevi historiarum Latinos discipuli legere perpauca solent, philologiam vel historiam professi fontes nondum editos parcius scrutantur. Iter Europae Latinum legentibus res gestas viginti saeculorum idiomate historico ita ob oculos ponat, ut gustum temporis ante acti proprium sentiant simulque linguam Latinam Europae veteris clavem esse experiantur.

Linguam qualemcumque plus esse quam merum speculum rerum scimus. Ideo quaerendum nobis est, quatenus litterae nostrae ab humanitate dictae saeculorum mores, instituta, facta formarint, an praecepta plerumque salubria praestiterint, an facinora interdum vel foverint vel commissa velarint. Nos quidem, maximis huius aevi malis docti, pro re comperta habemus nefaria facta in longam vulnere dolorumque seriem abire simulque infausto saepe imitationis stimulo latius effundi, ita ut et nepotes tandem attingantur.

Qua de causa muneris esse nostri videtur, diligenter inquirere, an humanitatis studiosi aliquando bonum publicum dereliquerint vel adulando dominos pravos vel idolis falsis honorem litando vel societatis civilis abruptione abruptione quadam, qua homo sperneretur. Inter idola vana utique habeo Latinitatem more geometrico concinnatam, quam saeculo undevicesimo nonnulli philologi splendore scientiarum naturalium vel iurisprudentiae vel disciplinae militaris seducti animo finxisse videntur. Hanc si abrogare valebimus, conscientiae animi nostri satisfaciemus, memoriam rerum gestarum litteris Latinis redintegrabimus, usum urbane colloquendi ac sapienter iudicandi continuabimus, linguam denique Latinam a latebris, silentio, situ vindicabimus.

Sessio 2 – **Frank La Brasca** (Università di Tours – Centre d'études supérieures de la Renaissance): *Nicolaus Intempestivus*, sive quomodo ars politica hodierna ex antiquorum lectionis gremio surrexerit (*Nicolaus Intempestivus*: le origini classiche della politica moderna)

Haec intendit oratio ut quam accuratissime describatur quomodo vir reipublicae gerendae studiosus, ut fuit ille Machiavel, humanistarum arte suasoria usus sit - idque exemplis ut paucioribus quidem, ita ratione electis, nitentes agemus.

In hoc praecipue res posita est, ut locum quendam libri, cui titulus *Discorsi sopra la prima deca di Tito Livio* (II 10), inspiciamus, collatione sane non praetermissa nonnullis cum aliis variorum generum scriptis (sicut sunt pugillaria ad artem pertinentia, et de rebus gestis scribendis considerationes, et al.), ut intelligere conemur quemadmodum ex corruptione, quam humanistarum philologorum clara tritaque traditio hic patitur, res omnino novae intempestivaeque emanent in republica tractanda - ex illa inquam corruptione quae ex paralogismis, interruptionibus, distortionibus consultis parumve consultis constat, quibus omnibus ingentium intactarumque specie constructionum stabilitas illis in paginis continuo labat. Modo autem hodierno quodam tractatur res publica, quo etiam nunc societates nostrae afficiuntur, secundum quem ipsarum principium extrinsecus ipsis esse videtur.

12.30-13.15

Sessio 1 – **Rüdiger Niehl** (progetto CAMENA – Mannheim): De operibus Neolatinis nostra aetate edendis (Preparare edizioni di testi neo-latini)

Variis causis et rationibus factum est ut libri vetustiores in bibliothecis publicis multo difficilior quam opus est adeantur et editiones recentiores eorundem librorum non iam satis divulgentur. His rei scholasticae difficultatibus omnes philologi rerum humaniorum studiosi ad arma vocantur; quibus succurrere debet ars computatoria, edendis scilicet et divulgandis libris electronice. Quod opus iam per se non facile, difficilior praeterea redditur quod deest canon vel corpus classicorum Neolatinorum, quo fit ut primus editorum labor iam oriatur in eligendis et reiciendis libris auctoribusque. Nostrum ergo est quam celeriter criteria vel leges diiudicandi quam certissimas sancire, quibus corpora operum constitui possint. Monstrabitur etiam quo modo iudicia ipsorum auctorum neolatinorum inveniri, adhiberi et iudicari oporteat.

Qua difficultate superata restat ut novo huic edendi modo etiam certa instituta et locum stabilem inveniamus in academiis nostris. Nam in hac arte nova non valet illud Horatianum, "vocem missam nescire reverti" - cum enim editiones electronicae et facile et paulatim et multis adiuvantibus emendari possint, moderatores editionum in perpetuum institui debent. Quod opus bibliothecae, quae hactenus maximam partem pecuniae et laboris editionibus electronicis insumperunt, praestare numquam poterunt, quare necesse est id a philologis curari.

Sessio 2 – **María Patricia Villaseñor Cuspinera** (Università Nazionale Autonoma del Messico): **HVMANITAS: primum saeculum p. C.**  
(*Humanitas*: I secolo a. C.)

Quid humanitas significet nobis, qui homines tertii millennii simus, intellegi potest ab antiquorum auctorum notionibus. Inquirendum igitur est quid de ea re cogitaverint illi auctores. Apud Ciceronem legimus optimos viros aetate rei publicae, temporibus imprimis Scipionum, humanitatem coluisse. Novimus etiam ipsum Ciceronem et alios scriptores eius aetatis optasse ut humanitas panderet inter homines clarissimos. Denique, primo saeculo post Christum natum, Seneca philosophus et ceteri auctores Imperii Romani tradiderunt humanitatem esse quamdam partem universalis rationis. Quam ob rem humanitatis fines praescribi possunt.

13.30 – Prandium

**15.30-18.30 – IN MVSEO ARCHAEOLOGIAE NEAPOLITANO ET IN AVDITORIO A VINCENTIO GEMITO NUNCVPATO (vulgo: MUSEO ARCHEOLOGICO NAZIONALE E SALA GEMITO)**

**De artium pingendi, sculpendi architectandique potestatibus quaeque insint in iis ratiocinationes**

ARGVMENTA

1. *De urbe humana* (La città dell'uomo)
2. *De necessitudine inter humanismum atque artes pingendi sculpendi et architectandi* (L'umanesimo e le arti)

15.30 – 16.15

Sessio 1 – **Stefano Maggi** (Università di Pavia): **Quomodo antiqui dimensi sint, quomodo vero recentiores homines dimetiantur, quantumque in architectura humana ratio valeat**  
(Misure antiche, misure moderne: la “dimensione umana” in architettura)

Saepissime hodie de necessitate in urbe vivendi ad hominis modum exstructa verba fiunt. Sed si quis circumspectat facere non potest quin interroget: de quo homine loquimur? De homine ab architectis excogitato, fortasse; vel melius de homine nunc ab illo nunc ab altero architecto mente ficto! Non parum saepe in nostrae aetatis architectandi arte sui arbitrii proposita praevalere videntur singulorum hominum propria, quavis norma reiecta et repudiata (laccessendi enim causa dictum est normam “periculum” esse).

Quae cum ita sint, optandum ut una ex parte notio omnium membrorum propria ex quibus urbs constat, quae sunt aedes, plateae, viae, ... restituatur - ut lingua quasi communis aedificiorum structurae ita habeatur ut antiquis tem-

poribus esse solebat; - altera vero ex parte - forsitan in primis et ante omnia - ut confusione nimiaque modorum licentia praetermissa, ad aedificia architectandique artem redeatur homini eiusque convenientiae ac congruentiae idonea, quae facile componantur atque intellegantur; aliter enim fieri nequit ut aedificiorum aequa similitudo ac ratio hominibus apta asservetur.

**Sessio 2 – Francesco Piselli (Università di Parma): Quanta fuerit Latinarum litterarum vis ad aethetica studia recentiora inchoanda (L'influenza delle lettere latine sugli inizi dell'estetica moderna)**

Acroasis breviter percurrit recentissimas quaestiones de aethetica quae nomine ornata et apprime ad amussim ab A.G. Baumgarten (1714-1765) instituta est. Huius auctoris pondus cum historicum tum theoreticum in dies augetur. Deinde huius doctrinae fundamentum explanatur, tamquam “philosophiae Gratiarum et Musarum, theoriae liberalium artium, scientiae et artis ad cognitionem perficiendam, quibus ad perfectam per sensus notitiam perveniat”.

Baumgarten noster non modo haec omnia exponit arduo et severo, quamvis puro et ad finem suum apto, Latine scribendi modo utens, sed etiam litteras Latinas, una cum regulis rhetoricis et poeticis suis, perfectae cognitionis perfectae per sensus cognitionis tale testimonium et exemplum perenne facit ut Latinitas nobis quemadmodum aetheticae hodiernae incunabula esse videatur.

16.15-17.00

**Sessio 1 – Colette Nativel (Università di Parigi I – Centre d'histoire de l'art de la Renaissance): De nexu inter picturam, artem poeticam et rhetoricam apud Franciscum Iunium (I legami tra la pittura, la retorica e la poesia nell'opera di Francesco Giunio)**

Franciscus Iunius Amstelodami, anno 1637, *De pictura libros tres* publici iuris fecit. Mirabile est quod ad suum argumentum exponendum nullam picturarum mentionem facit, sed arte poetica rhetoricaque pariter ac philosophia utitur. Ita fit ut magnum fontem non tantum apud Plinium Minorem, sed etiam in operibus antiquorum rhetorum ac poetarum inveniat. Ciceronis autem tractatibus utens, ostendit quomodo visio et species magnam partem in pictura producenda agant monstratque quo pacto pictura evidentiam et stuporem excitet. Quo fit ut pictura quasi oratio sit quae non solum easdem virtutes vel pulchritudinem vel decus praebeat, sed etiam easdem leges et partitiones observet. Ut rhetor et poeta, pictor naturae semina sequitur et divino afflatu excitatur, ars autem doctum pictorem facit. Quae doctrina, cum fundamentum in antiquis moribus habeat, magnam gratiam in tota Europa, ut ita dicam, apud recentiores de arte pingendi auctores consecuta est.

Sessio 2 – **Massimo Scorsone** (Università di Torino): Cur “Antiquissima quaeque commenticia”? Quaedam de Vetustatis per se inlustrandae ratione apud Emblematum quae dicuntur compositores, praesertimque apud Alciatum (Perché “Antiquissima quaeque commenticia”? La rappresentazione dell’antico: Andrea Alciato e gli Emblemata)

Armis induta suis, ut equidem per ambages dixerim, ceu solis aemula, et ignes fulgidissimi sideris iam intermortuos pleno recolligens ore, aetas litterarum renascentium quae dicuntur illa antiquitatis vestigia qua cernerentur cumque sine mora indagavit; quibus cogitatione mente animoque comprehensis, praetertorum saeculorum notitia tanto est ampliata ut ea, quae per experientiam semel attingisset instituta eorum considerando et rationes, in doctrinam redigeret. Atque una artium istarum ex tenebris oblivionis et silentio prorsus vindicaretur, *emblematum* videlicet scientia, qua insignibus sensus reconditae mentis picturisque Aegyptiorum quasi ex consuetudine exprimantur, quibus per notulas hieroglyphicas scribere mos quondam fuerat, seu per iconogrammata potius quae ipso aetatis huius in limine nonnulli doctorum retractarunt politiores. Ita igitur animo elegantias novellas effingentibus investigandae vetustatis curiositas repperit. Namque huiusmodi figurae, prout res magis quam verba, quarum ratio ab antiquis magna ex parte petitarum traditur, quin verba immo cum rebus inextricabiliter coniuncta, quae quidem earundem imaginibus subscripta in sententias adcommodentur, vetustatem omnium meram haud raro repraesentarant. Hac tamen de causa emblemata quod dici solet viam aperuit aptissimam ad indagandas non signorum tantum facultates, verum etiam ad efirvne an ipsos in antiquorum amatores argute cateque exercendam: id quod satis dilucide demonstrat exemplar quoddam ex Alciato (CLXXXIII ex ordine; in editione vero Parisiensi [1542] CXV) delectum, cui ad instar tituli *Antiquissima quaeque commenticia* superponitur adagio quae, cum velut ansam det ad disputandum, plana incredibilitatis exstat professio, utpote per Protei illius Pharii simulacrum opinionem de vetustate quamlibet salibus perstringens quam efficacissimis.

17.00-17.30 – Pausa

17.30-18.30 – **Giancarlo Rossi** (Fondazione Latinitas): Quid proprie sit architecti munus (Il compito dell'architetto)

Num variis aedificandi rationibus, quae annorum decursu sunt adhibitae, fundamentum quoddam commune subsit.

Quatenus architecturae praecepta, quae Vitruvius dedit, Leo Baptista Alberti renovavit, neglexere recentiores, observentur in operibus Laurentii Piano Genuensis, qui in optimis quibusque huius nostrae aetatis architectis merito annumeratur.

18.30-19.30 – Museum archaeologiae lustrabitur

20.00 – Cena

**21.15 – IN EPHEBEO PVBLICO A “VICTORIO EMMANUELE” NVNCVPATO  
(vulgo: CONVITTO NAZIONALE VITTORIO EMANUELE)**

Fidicines Neapolitani urbis historiam per modos musicos illustrabunt

## Die XXI mensis Iulii

---

**9.00-13.15 – IN ACADEMIA ARTIS MUSICAE APVD MONASTERIVM DIVI PETRI  
AD MAIELLAM (vulgo: CONSERVATORIO DI S. PIETRO A MAJELLA):**

**Musice aetatem agere humanam**

ARGUMENTVM

*Quid modi musici ut animus ad veram humanitatem informetur conferre possint* (Musica e formazione umanistica)

9.00-9.45

Sessio 1 – **Evangelos A. Moutsopoulos** (Università di Atene):  
Μουσικὸς ἀνὴρ: quomodo modis musicis animi ad virtutem humanitatemque informantur: de phaenomenologia, quae dicitur, musica  
(Μουσικὸς ἀνὴρ: Musica e formazione nella filosofia umanistica: fenomenologia della musica)

Quonam pacto ad musicam disciplinam accedamus mente ac ratione philosophica, hac acroasi tractare velim. Philosophi enim et antiqui, ut puta Plato, Aristoteles, Augustinus, et recentiores, velut Fridericus Nietzsche, Arturus Schopenhauer, Gabriel Marcel, musica multa, quae supra hominis naturam sub tactu sensuum non cadunt, sentiri ac percipi posse confirmabant.

Musica per se bifariam habet indolem: partim artificium, partim via est. Ars, quae sonorum et modulationum inter se connexa copulataque concinnitate animum auditorum allicit atque elevat. Quae elevatio eademque est via extra hunc mundum ducens et “dias in luminis oras” immittens. Idgenus modis et structuris est praedita, ut ea, quae auditoribus proferat, eaque, quae saltator vel cantor, paene pars musicae factus rerumque cotidianarum oblitus, sentiat ad altissimas veritates ontologicas redigi possint et principia huius mundi demonstrent.

De via ac modo, quibus ars musica principia et ea, quae sensibus ab hominibus percipiuntur, coniungere videtur, alii philosophi aliter senserunt. Iuxta



sententiam illius Schopenhauer aliorumque, modi musici nos ad structuras universales trahunt; Platonis quidem et eius asseclarum sententia ideae illae perfectae atque absolutae radios quasi emittentes apparent in rebus. Nemo musicam, quippe quae esset hominum et transcendentium rerum interpret, maximi momenti in animis informandis esse negavit. Musica et philosophia inter se sunt coniunctae, nam philosophia musica freta tollit homines ad astra, musica autem mentem auditorum ad alta rerum principia percipienda parat.

Sessio 2 – Vsevolod Zěl'čenko (Università di San Pietroburgo): De recentiorum poetarum carminibus Latine vertendis  
(Tradurre in latino i poeti moderni)

Fuit tempus, cum recentioris aetatis carmina Latine reddere adeo fuit usitatum, ut etiam pueris in litteris Latinis versantibus pensi instar assidue proponeretur. Non defuerunt tamen, a quibus huiusmodi exercitationes, tamquam frigidae afflatuque divino carentes, nimia cum severitate sint improbatæ. Itaque non alienum nobis videtur versiones illas Latinas sub specie humanistica tractare, ita scilicet, ut ostendamus eas non solum ad rem metricam sermonemque poeticum cognoscendum optime prodesse (hoc enim nemo est qui neget), sed nonnunquam etiam ad ipsum carmen interpretandum vatisque indolem melius percipiendam multum conferre posse. Qua in re poema quoddam Alexandri Pu\_kin (1799–1837), a Theodoro Kor\_ Mosquensi centum abhinc annos feliciter Latine expressum, ansam nobis praebebit.

9.45-10.30

Sessio 1 – **Diego Toigo** (Università di Padova): De modis musicis et sacris in Europa Latina: de scholis capitularibus et pueris cantoribus inter XIV et XV saeculum  
(Musica e sacro nell'Occidente latino: scuole capitolari e *pueri cantores* fra Tre e Quattrocento)

Cum patrimonium cantus liturgici tradere necesse esset, media quae dicitur aetate educatio iuvenum ansa inde capta floruit posterisque temporibus conspiciui hac de causa fructus creverunt.

A scholis mediae aetatis ineuntis, quae renovandi impulsu Carolingorum instituebantur, usque ad res novas a Pontifice Eugenio huius nominis IV inductas, qui saeculo decimo quinto plurima in scholis ecclesiasticis refecit atque instituit, ratio docendorum textuum sacrorum ibi excogitata numquam immutata est: doctrina litterarum “usque ad Donatum” cum arte carmina canendi et componendi coniuncta tradebatur, sed *pueri* in primis auctoritatem atque disciplinae virtutem, modum dein rerumque proportionem, humanitatem denique erga pauperiores exercendam discabant.

Inter res musicas eis agendas locum tenet eminentem singulari arte adhibita ludorum scaenicorum in cathedralibus templis celebratio, cum *pueris cantoribus* opportune vestimentis scaenicis indutis angelorum atque feminarum partes tribuerentur. Quibus sacris ludis huius acroasis pars quaedam, qua imagines ope lucis proiectas aspicere et quaedam fragmenta audire licebit, reservatur.

Sessio 2 – **David Money** (Università di Cambridge): De usu Musae Latinae nostra aetate  
(La poesia latina moderna)

Quis legit carmina Latina nuperrime scripta? In patria mea septentrionali, paene nemo. Cur igitur scribamus? Rationes varias ad Musam diu neglectam hodie iterum blandiendam breviter percurram. Vis etiam versificationis in scholis saeculorum praeteritorum erat immensa: eandem tamen vim revocare nostro saeculo sit difficile, et fortasse vix optabile. Sed studentes scribere possunt, voluptatemque carpere scribendo.

10.30-11.00 – Pausa

11.00-12.00 – **Wilfried Stroh** (Università di Monaco di Baviera): De Horatio lyrico modis musicis illustrato  
(Orazio lirico in musica)

Horatius quin ipse sua carmina lyrica ad modos musicos cantari voluerit dubitari vix potest: qui se Romanae fidicinem lyrae verbis apertissimis dixit. Incertum est tamen num veteres cantores voluntati poetae obsecuti eum usu ac cithara celebraverint. Cuius rei testimonia certa non sunt notissimis illis monumentis exceptis quae ad Carmen saeculare spectant.

Postera saecula certe cantica Horatiana suis modis care noluerunt. Iam enim medio aevo q.d. neumata quaedam exarata invenimus quibus odae quaedam cantui accommodata sunt. Tempore autem resurgentium litterarum in Germania et Austria natum est genus illud Odarum humanisticarum celebratum a musicis optimis ut Paulo Hofhaimer Iuvavensi et Ludovico Senfl Monacensi. In quo numeri sive rhythmici lyrici sic respiciebantur ut longae syllabae duplici tempore, breves simplici redderentur. Cuius artificii auctor erat Germanorum “archihumanista” q.d., Conradus Celtis P.L.

Haec autem ratio modulandi eo tempore periit, quo in Europa omnes musici (fere inde ab a. 1600) modos suos certis mensuris dimetiri coeperunt, quos “tactus” nunc quidem nominare solemus: quibus efficitur ut tempora fortiora sive ictus aequalibus intervallis inter se succedant. Quod minime conveniebat illi generi humanistico. Ergo musici in modis Horatianis componendis non iam dimensiones syllabarum valde curabant, sed aut accentum solum verborum sequebantur (ut in Horatio iam Orlandus Lassus fecerat) aut ictum illum metricum, qui et ipse fere inde ab a.1600 in scholis praesertim Germanicis percrebrescebat. Audires igitur aut secundum accentum: *Ínteger vítae scèlerisque púrús*, aut secundum ictus: *Íntegér vítae scelerisque púrús*. Alterum genus, quod praevaliturum saeculo undevicesimo erat, incohavit ex aliqua parte Philidorus in *Carmine saeculari* opere egregio (1779).

Saeculo demum vicesimo Ianus Novák musicus ingeniosissimus artem illam humanistarum novavit. Qui Horatium ita cantari voluit ut modi aut a tactibus illis omnino liberi essent (quod post Stravinskios aliosque novatores facile erat) aut cum respectu tactuum tamen syllabarum quantitates quam fidelissime servarent. Eminent autem inter Horatiana opus quod inscribitur *Servato pede* (1972).

12.00-13.15 – ERASMI LAUS STULTITIAE: fabula scaenica quam agent Anna et Robertus Nisivoccia

13.30 – Prandium

**15.30 – IN COENOBIO DIVAE CLARAE DICATO (vulgo: CONVENTO DI SANTA CHIARA)**

**Humanitas fecit patriam diversis gentibus unam**

ARGVMENTVM

*De humanitate apud varias gentes et nationes (L'umanesimo vincolo tra le nazioni)*

15.30-16.15

Sessio 1 – Vladimir Vratović (Università di Zagabria): De Latinitate Croatica

(La letteratura latina in Croazia)

Latinitas Croatica a saeculo octavo usque ad medium undevicesimum saeculum valebat. Scriptores Latini apud Croatos, cum solutae orationis auctores (e.g. Vrančić – Vrantius, Vlačić – Flacius, F. Petrić – Patricius, I. Durčević – Georgius, de Dominis, Vitezović – P. Ritter, Bošković – Boscovich, B. Stay) tum poetae (e. g. Cesmički - Pannonius, Maručić – Marulus, I. Crijević – Ael. Lampr. Cervinus, Kunić – Cunichius, Džamanjić – Zamagna, Rastić – Restius), saeculis XV et XVIII praecipue excellabant.

Sessio 2 – Kajetan Gantàr (Università di Lubiana – Accademia delle scienze Slovena): De Iacobo Ukmar (1878-1971), tolerantiae inter gentes propugnatore

(Giacomo Ukmar propugnatore della tolleranza)

Iacobus Ukmar sacerdos humanista verus considerandus est, quippe qui non solum humanitate undique expleta atque perfecta imbutus sit, sed etiam propter elegantiam sermonis Latini quo in litteris privatis, in acroasibus publicis, in libellis doctis uti solebat. In Tergestis suburbio natus summa vi intendit, ut cohabitatio Italicorum et Slavorum ibi viventium in melius redderetur. Iam ineunte bello primo mundano a magistratibus Austriacis, quia ultionis cupiditati et odio intestino restitit, in carcerem deiectus est. Postea sub regimine fascium iura popularium intrepide defendit, iniurias a factiosis commissas damnavit. Bello secundo mundano confecto nihilominus fortiter oppressiones et violentias a communistis commissas damnavit, reconciliationem inter populos vicinos praedicavit. Quam ob rem a turba inflammata hostili, quae in vico quodam Histriae, ubi Iacobus Ukmar sacramentum confirmationis tribuere voluit, ad ecclesiam irrupit, unde eum graviter vulneratum et semimortuum in carcerem abduxerunt, comitem autem eius trucidaverunt.

Deinde, cum concilium Vaticanum secundum praepararetur, Iacobus Sanctae Sedi porrexit textum c.n. Desiderata pro concilio oecumenico, cuius singulae sententiae et paricopae (e.g. de nationalismo et de minoritatibus, de bello gerendo vel non gerendo) postea non solum in Actibus Concilii, sed etiam in encyclica Iohannis XXIII c. t. Pacem in terris - non casu - occurrunt; nam Ukmar Iohannem A. Roncalli iam pridem bene novit, cum per viginti annos munere iudicis in tribunali archiepiscopali Venetiis fungeretur, cuius tribunalis praeses fuit Venetiorum patriarcha Iohannes Roncalli.

#### 16.15-17.00

Sessio 1 – **Ahmed Etman** (Università del Cairo): De hominum sodalitate ab Athenis antiquis ad Bagdatum hodiernum acroasis  
(La fraternità tra gli uomini dall'antica Atene alla Bagdad moderna)

Graeci ab Homero scriptores hominem cum deis ipsis ad suam similitudinem accedentibus in medio orbe terrarum ponere solebant, sed eodem tempore mores ritusque Aegyptios et Asiaticos omnino non ignorabant, sicut Herodoti et Plutarchi opera bene indicant. Principes apud Romanos sodalitates humanae fautores fuerunt Cicero et Seneca, quorum sententias philosophicas in sermonem Christianum SS. Paulus et Augustinus converterunt. Praeceptis prophetae Mahometi vigescentibus textus Graecos et Latinos antiquiores in linguam Arabicam reddiderunt incolae Bagdati ubi multitudo omnium gentium nationum religionum vitam agebat humanissimam. Enimvero sententiae de humanitate antiquae per renascentium artium tempora usque ad nostrum diem polluerunt et quo talia praecepta humana in terris occidentalibus atque orientalibus nunc tendant acroasis investigabit.

Sessio 2 – **Youm Seong** (Università “Sogang” di Seül): Humanismus in Oriente et Humanismus in Occidente  
(Umanesimo d'Oriente e umanesimo d'Occidente)

*Nihil humani cuiquam in toto orbe terrarum incolae alienum est.*

*Homo homini lupus, an homo homini deus?* Sub solem occidentem antiqui nominaverunt hominem *imaginem Dei* vel *mensuram omnium*. Sub solem orientem autem appellatus est *homo ut caelum*, idem est homo ac deus, vere dignus qui bene tractetur, ut qui divinus habeatur.

*Non est bonum esse hominem solum.* Sapientia ergo Sinensium illiusque gentis litteris describitur homo ut ex duabus partibus constans, deinde caritas ut *homo in duobus*.

In Christi religione *Deus caritas est*, sicut in doctrina Buddhae fidelium plenitudo misericordiae iam aestimatur ipse Buddha (homo illuminatus). Secundum autem illud Hipponensis (*pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror*) si duo amores, privatus scilicet et socialis faciunt duas civitates diversas in terra, nostrum erit officium fundare civitatem amoris socialis novo millennio.

#### 17.00-17.30 – Pausa

17.30 – 18.15

**Sessio 1 – Joaquín Pascual-Barea** (Università di Cadice): *De Benedicti Ariae Montani (1525-1598) poesi citharae modis aptata*  
(La poesia di Benedetto Arias Montano e la musica)

Benedictus Arias Montanus, theologus et poeta laureatus, plus quam triginta milia versuum condidit, quibus a Christophoro Plantino Antverpiae excussis Catholici aequae ac Lutherani maximam laudem tribuerunt. Adulescens hexametros et impares versus, iuvenis vero atque senex lyrica carmina saepius exaravit, quippe cui poesis esset ad musicae usum temperata oratio. Patrem domi praedulce canentem, Chirosium poeticae disciplinae praeceptorem Hispali carmina sacra et psalmos recinentem, Michaelem a Fuenllana artis musicae et lyrae peritissimum in caelum laudibus extulit, atque ipse cithara nonnihil canebat. Cum theologiae in Academia Complutensi studens animi aegritudine laborasset, atque medica remedia et complura alia consilia frustra temptasset, psalmum fidibus aptavit, cuius frequenti usu atque attentata exercitatione post paucos dies morbo evasit.

**Sessio 2 – Aleksej Ljubžin** (Università “Lomonosov” di Mosca): *Quomodo Ruteni, imprimis saeculis a XVII ad iniens XX, litteras Latinas didicerint*  
(L’umanesimo russo tra il Secento e l’Ottocento)

Apud Rutenos ludi litterarum, ubi lingua Latina disci posset, serius instituti sunt. Saeculo XVII medio Petri Mohilae collegium Cioviense Polonis ferro ereptum est ideoque linguae Latinae discendae copia sublata. Academia Moscoviensis anno MDCLXXXV privilegio doctrinae fundamenta in saecula iecit. A Petro I collegia sacerdotalia inchoata sunt; nec non et Academiae Scientiarum Petropolitanae operibus, Petri iussu, Catharinae I<sup>ae</sup> temporibus conditae doctrina Rutenica fulta est.

Universitate tamen Moscoviensi cum gymnasiis condita largior scientia in omnes ordines profusa est. Sub Catharinae II<sup>ae</sup> auspiciis Rutenicam gloriam omnibus doctrinis atque artibus liberalibus floruisse satis constat. In collegiis sacerdotalibus pueri Latine loquendo exercebantur, in gymnasiis vero scriptoribus legendis maiorem operam dabant. Postquam Alexander I regnum est adeptus rerum ordo paulatim mutatur. Eruditionis publicae consilium ab ipso conditur. Quattuor tamen annorum curriculum gymnasiis assignatum, solidioribus studiis neglectis, magis machinis hydraulicis inspicendis discipulos operam dare coegit. Nicolaus I<sup>us</sup> rem ad melius provexit. Gymnasiorum status anni MDCCCXXVIII<sup>o</sup> secundum post Catharinae II<sup>ae</sup> tempora culmen humanitatis paravit. Sed suis manibus Caesar domum in petra aedificatam divisit, id post annum MDCCCXLVIII<sup>o</sup> timens, ne pueri liberalioribus doctrinis imbuti imperium everterent. Itaque studia Graeca litterarum e ludis paene fugata, Latina vero deminuta.

Cuius erroris poena non cessavit. Iuventus solidiore a doctrina semota auctores nequissimos legens iam omni ordini periculo fuit. Alexander II<sup>us</sup> regnum adeptus morbum curare conatus est. Minister publicus eius comes diligentissimus Demetrius Tolstoj Andreae f. gymnasia Graeco-Latina reparavit, linguarum antiquarum dignitatem restituit. Vereor autem ne sero haec facta sint.

Itaque humanitas iam antea collapsa post res eversas hoc unum passa est, non omnino litterarum antiquarum scientiam apud Rutenos emori.

18.15-19.00 – **José-María Maestre** (Università di Cadice – Instituto de estudios humanísticos): *De novis barbaris*  
(I nuovi barbari)

Antiqui Graeci illos qui Graece non loquebantur “barbaros ” nuncupabant. Inter antiquos Romanos illi qui nec Graece nec Latine loquebantur “barbari ” etiam appellati sunt. Adde quod eodem modo humanistae “barbaros ” nominabant illos qui linguam Graecam et Latinam contemnebant. Barbari enim erant in litteris renascentibus omnes inhumani viri qui humanitatis studia despiciebant. Sed nostro tempore nati sunt novi barbari qui non tantum linguam Graecam et Latinam contemnunt, sed etiam et in Hispania et in aliis Europae nationibus antiquas linguas in Lyceis et in Studiorum Universitatibus abolere volunt. Opus est ut isti novi barbari, politici quidem homines, huius historiae fundamentum discant.

19.00-20.45 – Participes urbis Neapolis sinum Francisco Lista duce lustrabunt

21.00 – Cena

## Die XXII mensis Iulii

---

**8.00 – IN ECCLESIA SANCTI FRANCISCI DE PAVLA (vulgo: CHIESA DI S. FRANCESCO DI PAOLA)**, in area a Plebis scito nuncupata (vulgo: piazza del Plebiscito), sacra Latine celebrabuntur

**9.00-12.15 – IN AULA REGIA (vulgo: PALAZZO REALE)**

### De homine

#### ARGUMENTA

1. *De hominis dignitate* (La dignità dell'uomo)
2. *De critico animi iudicio fovendo* (Lo sviluppo del giudizio critico)
3. *De deformi rerum, quae sunt identidem in pretio, obsequio stirpitus extrahendo: “nolite conformari huic saeculo”* (La necessità dell'estirpazione del conformismo)

9.15-10.15 – **Francesco Paolo Casavola** (presidente emerito della Corte costituzionale): Cur personae ius omnium humanorum iurum fons sit atque origo

(Persona: il primo dei diritti umani)

Propositum mihi est demonstrare, fatum et fortunam vocabuli quod est *persona* percurrando ipsiusque per saeculorum decursum mutatas significationes investigando, quomodo personae notio fundamentum existat supra quod iuris aedificium exstructum sit, cum non aliud hoc verbo significetur quam intima hominis dignitas, quae una fons atque origo est praecipuorum, ut in Germanorum, inviolabilium, ut in Itolorum scriptum videmus constitutione, iurum.

10.15-10.45 – Pausa

10.45-11.30

Sessio 1 – **Francesco Baùsi** (Università della Calabria): “Simul ante retroque prospiciens”: Petrarca quasi in confinio positus inter mediam aetatem et recentiora tempora

(Simul ante retroque prospiciens: il Petrarca al confine tra medioevo e modernità)

Hac oratione demonstrare conabor Petrarcae humanitatis studiorum renovandorum propositum, quod quidem parum contextum quibusdam notionibus mediae, quae dicitur, aetatis propriis referendum potius videtur ad prima medii aevi saecula quibus nondum Aristotelis et scolasticorum auctoritas pollebat, indeque ad ipsam antiquorum scriptorum Patrumque Ecclesiae preceptionem institutionemque.

Oratio igitur in lucem proferet consilium illud Petrarcae mirabile contraque opinionem omnium, consilium, inquam, Europae cultum civilem humanitatemque renovandi per reditum ad longinquos integrosque fontes, ad optimos scilicet Romanos Christianosque scriptores. Considerabo denique quantum et quomodo ad nostram quoque aetatem Petrarcae quod fuit propositum pertinere videatur.

Sessio 2 – **Padraig O’Cleirigh** (Università di Guelph – Canada): Artificii aestimationem paene eandem esse atque itellectionem rerum

(La valutazione critica dell’opera d’arte come comprensione dell’ente)

De pulchro nobis fere disserendum est cum artificia aestimamus; si autem aestimationem hanc cum rerum itellectione etiam comparare velimus, de vero quoque disputare debeamus. Generatim sane haec ventilare desideramus quia ita magis huic conventui de humanitate tractanda conveniat. Maximo autem nobis adiumento erit, ut opinor, ab Aristotelis doctrina proficisci; ille enim operibus diversis de rerum intellectu deque artis poeticae aestimatione tractavit: indagationis duplicis semitam ingressus, dogmata tradidit dignissima quae a posteris noscantur.

Nec solum ipsius Aristotelis doctrina sed etiam eadem academiae, quae dicitur, Aristotelicae millenniis insequentibus primorum indagacionem adiuvabit: divi Thomae, dico, saeculo tertio decimo nostrae salutis saeculoque vicesimo Iacobi Maritain. Qui ambo sententias Aristotelis quasdam in hac re obscuriores luculentius explicuerunt. Hic enim doctrinam Aristotelis de poesi speciatim ad alias artes (ut sculpendi et pingendi etc.) illustrandas adhibuit, ille de pulchro inter transcendentalia, quae dicuntur, posito, itaque cum vero coniuncto planius disseruit. Quae potuerunt dogmata Aristoteli aliena aliunde trahi et antiqua (videlicet a Platoniciis) et nova (e.g. a Georgio Hegel).

Sunt qui Aristotelis de arte poetica doctrinam disiunctione parum credibili cum ceteris philosophi dogmatis coniungere nolint (ut, puta, Else), sunt et qui talem coniunctionem velint - ea autem condicione ut de re tantum artificiali, nullo modo de naturae rebus agatur (e.g. Halliwell). Sunt quoque - inter quos me numero - qui disiunctionem talem artis naturaeque minime patientur.

In opere c.t. *Metaphysica* hominum esse dicitur noscendi desiderium; in *Poetica* vero per mimesim delectatio noscendi. Ex hoc communi fonte opus simile noscendi modusque manare potuit. Rationum coniunctionis, de qua nunc ago, caput est: res vel naturales vel artificiosas abstractioni formali patere. Res naturales ab Aristotele tali abstractione intelliguntur. In *Poetica* eiusdem haec de poesi suggeruntur: 1) illam esse magis philosophicam (quod verbum hic "generalem" indicat) quam historiam, 2) agentes in tragoedia magis tales homines esse intelligendos quam nomine individuos. Nec plura de vi abstractiva hic affirmantur. Sat verbum autem sapientioribus. Si notiones communes e singulis in fabula proferenda abstrahuntur, nonne omnia significacione communia fient? Quomodo ab hoc initio rerum universalium ordo in tragoedia expleatur, in contione demonstraturus sum.

De vero in tragoediis secundum Aristotelem sufficiat hoc. Addenda autem sunt de pulchro plura (a Platone per divum Thomam tracta). Aristoteles enim sententias de poetica saepe, ut ait Rostagni, nimis intellectuales protulit.

Opera epica saeculo quarto decimo et vicesimo saeculo conscripta in exempla adducens, momentum in ipsis artificiis conficiendis intellectionis communis huius et rerum et artificiorum ad finem orationis obiter breviterque perstringam.

## 11.30-12.15

Sessio 1 – **Mauro Pisini** (Pontificio Istituto di Musica Sacra): Quo usque et cur humanae litterae cum recentioribus rerum technicarum inventis aut conflare, aut convivere possint

(In che misura e perché le discipline umanistiche possano cozzare o convivere con la tecnologia)

Hac disceptatione fusius disseritur et de causis, propter quas hodierna hominum consortio, post innumera inducta technologiae inventa, litterarum, quae classicae appellantur, sese minus praestet studiosam, quam decenniis praeteritis, deque in rem adhibendis remediis, ne rerum status fiat deterior.

Res enim attinet non modo ad adultae aetatis homines, sed, pro dolor idque magis, ad adolescentes scholarum alumnos in quos haec funesta morum immutatio redundavit eorumque vividam mentis intencionem in antiquitatis studiis excolendis valde imminuit.



Ipsi enim qui, nisi a validis professoribus ducti, harum linguarum monumenta plerumque ignorant atque in rebus technicis quodvis genus perdiscendis unam doctrinae summam ponunt, per ea ipsa instrumenta a nobis maxime excitandi sunt, ne novissima tantum diligant, cetera autem neglegant incuriosi.

Variae igitur viae in docendo inveniendae sunt, quibus nixi, et magistri et discipuli cum technologica nostrorum aequalium indole partim communicent, partim, si res ferat, hanc ipsam oppugnent, ne genuinus animi adflatus, qui in nobis omnibus inest et recentissima quaeque inventa regat oportet, a callidis ipsorum lenociniis conculcetur.

Nam, studia humanitatis, si in iisdem bene versatus eris, diversarum nostri temporis occupationum angustias lenire posse ab auctore contenditur, quin immo, iisdem omnino sublatis, opera omnis fiat gravior, vel ad ipsam animi aegrimoniam prona necesse est, cum autem litteratorum indoles ab illa quae technicis est minus aversa sit, quam falso creditur.

Sessio 2 – **Martin Steiner** (Accademia delle Scienze della Repubblica ceca): **Ioannes Amos Comenius de dignitate hominis**  
(La dignità dell'uomo secondo Comenio)

I.A. Comenius in operibus suis saepius cogitationes de homine exprimit. Plerumque eas cum hominis educatione tractandas iungit. Ita nullo modo mirum, si eas cogitationes in Comenii operibus didacticis, et quidem in *Didactica magna* reperimus. Christianorum opinionibus arte adhaerens Comenius dignitatem hominis ab eius procreatione praecipue ducit. Procreationis historiam recensens, “praeceptor gentium”, ut vocitatus est, hominem “...absolutum colophonem, mirabilem epitomen vicariumque inter illa (scil. Dei opera) et Deum esse, coronam gloriae” Dei affirmat.

Consistit autem hominis dignitas Comenii opinione in humanitate, quam vero excolere necesse est. Dicit enim Comenius neminem posse credere se vere hominem esse, “nisi qui hominem agere didicerit: hoc est ad ea, quae hominem faciunt, informati sit”. Quod est – simplicius dictu – ratione et voluntate libera in vita uti.

Loco haud postremo etiam videndum est, quo dicendi modo Comenius hominis in mundo locum, munera vitae dignitatemque contemplans usus sit: praecipue quae verba elegerit, quae orationis ornamenta huic argumento idonea iudicaverit.

13.00 – Prandium

14.30 – Participes Turrim Graecam petent

**15.30 – IN OPPIDO TURRIS GRAECAE, APUD MONASTERIUM IN COLLE DIVO ALFONSO DICATO SITUM (vulgo: COLLE S. ALFONSO – TORRE DEL GRECO)**

15.30-16.30 – **Carlo Carena** (Casa Editrice Einaudi): *Quid Pico Mirandulensis senserit in illa oratione, quam “De hominis dignitate” conscripsit*

(La dignità dell'uomo nell'Orazione di Pico della Mirandola)

In primis quid de homine senserint antiquae philosophorum sectae, praesertim stoicorum, videbimus. Optimos quosque dein investigabimus scriptores qui media, quae dicitur, aetate floruerunt: Divum Ambrosium, Petrum Damianum, Divum Anselmum, Divum Bernardum atque Innocentium huius nominis III. Notionem denique humanistarum de hominis dignitate scrutabimur, quae ex mixtura quadam constat inter placita gentilium philosophorum et Christi fidelium. Argumenta ergo considerabuntur tractata operibus aetate conscriptis et recentiora, quae renascenti etiam calamo significantur, ab humanistis - a Pico imprimis Mirandulensi atque Erasmo Roterodamo - ad Platonis maiorumque humanitatem spectantibus allata.

16.30-17.30 – **Luigi Miraglia** (Accademia Vivarium novum – Fondazione Mnemosyne): *Notitia litterarum et usus rerum in animis more humanistarum informandis*

(*Notitia litterarum e usus rerum* nella formazione umanistica)

17.30-18.00 – Pausa

18.00-19.00 – **Reginald Foster** (Segreteria di Stato vaticana, Segreteria delle lettere latine): *Omnium aetatum litteras Latinas inter se artissimo vinculo nexas copulatasque esse*

(L'aurea catena che lega le lettere latine d'ogni tempo)

19.00-20.00 – **Michael von Albrecht** (Università di Heidelberg): *Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant*

(L'importanza del latino nell'educazione dell'uomo)

Primum exemplis ex scriptoribus Latinis allatis probabo, quam utiles sint litterae Latinae ad homines educandos. Varronem enim et Comenium secuti vocabula una cum rebus esse discenda censemus. Linguam autem ab optimorum scriptorum libris segregari non posse credimus, nam, ut ait Schillerus summus Sveborum poeta, pulchritudo porta est, qua ad rerum veritatem cognoscendam accedimus. Cuius rei e Seneca, Augustino aliis gravissima exempla afferam. Quod autem ad scholas attinet, Latine discere non paucorum quorundam privilegium esse debet; immo ius Latine discendi inter ea quae “iura humana” dicuntur recipiatur. Neque Latine discendi facultas ex parentum divitiis, sed ex

discipuli discipulaeve ingenio pendeat. Conveniat ergo inter omnes Europae gentes de “Gymnasio” sive “Lyceo Europaeo”, in quo bene discantur et binae linguae antiquae et binae hodiernae.

20.00 – Consilium quod a *Mnemosyne* nomen ducit exhibebitur atque illustrabitur; de variis quaestionibus disputabitur ac quid ex toto hoc conventu effici ac cogi possit videbitur.

20.30 – Cena

21.30 – Christiana et Dorothea de Albrecht, musicae praeclarae, bicinium edent

## Die XXIII mensis Iulii

---

Participes proficiscentur



## Index oratorum

- Mauro AGOSTO (Pontificia Università Lateranense)
- Michael VON ALBRECHT (Università di Heidelberg)
- Biagio AMATA (Pontificia Università Salesiana)
- Francesco BAÙSI (Università della Calabria)
- Giovanni Fabrizio BIGNAMI (Agenzia Spaziale Italiana)
- Massimo CACCIARI (Università “San Raffaele” di Milano)
- Luciano CANFORA (Università di Bari)
- Massimo CAPACCIOLI (Università “Federico II” di Napoli)
- Carlo CARENA (Casa Editrice Einaudi)
- Francesco Paolo CASAVOLA (Presidente emerito della Corte costituzionale)
- Stefano DI BRAZZANO (Liceo “F. Petrarca” di Trieste)
- James DOBREFF (Università di Lund)
- Vladislav DOLIDON (Università di Parigi VII)
- Ahmed ETMAN (Università del Cairo)
- Reginald FOSTER (Segreteria di Stato vaticana, Segreteria delle lettere latine)
- Andreas FRITSCH (Libera Università di Berlino)
- Erzsébet GALÁNTAI (Università di Szeged)
- Kajetan GANTÀR (Università di Lubiana – Accademia delle scienze slovena)
- Laurent GRAILET (Università di Liegi)
- Filippo GRAZIANI (Scuola d’ingegneria aerospaziale di Roma)
- Tullio GREGORY (Università di Roma “La sapienza”)
- Frank LA BRASCA (Università di Tours – Centre d’études supérieures de la Renaissance)

- Aleksej LJUBŽIN (Università “Lomonosov” di Mosca)  
Nancy LLEWELLYN (Università cattolica del Wyoming)  
Bruno LUISELLI (Università di Roma “La sapienza”)  
José-María MAESTRE (Università di Cadice – Instituto de estudios humanísticos)  
Stefano MAGGI (Università di Pavia)  
Marco MAMONE CAPRIA (Università di Perugia)  
Paola MARONGIU (Liceo “Dante” di Firenze)  
Matthew MCGOWAN (Università “Fordham” – New York)  
Milena MINKOVA (Università del Kentucky)  
Luigi MIRAGLIA (Accademia Vivarium novum – Fondazione Mnemosyne)  
Francisco MOLINA MORENO (Università del Kuban – Russia)  
David MONEY (Università di Cambridge)  
David MORGAN (Università “Furman” – Carolina Meridionale)  
Evangelhos A. MOUTSOPOULOS (Università di Atene)  
David MOVRIN (Università di Lubiana)  
Colette NATIVEL (Università di Parigi I – Centre d’histoire de l’art de la Renaissance)  
Antonio Vincenzo NAZZARO (Università “Federico II” di Napoli)  
Camillo NERI (Università di Bologna)  
Rüdiger NIEHL (progetto CAMENA – Mannheim)  
Tamás NÓTÁRI (Università “Gáspár Károli” di Budapest)  
Padraig O’CLEIRIGH (Università di Guelph)  
Joaquín PASCUAL-BAREA (Università di Cadice)  
Cleto PAVANETTO (Pontificia Università Salesiana – Fondazione Latinitas)  
Claudio PIGA (Accademia Vivarium Novum)  
Dino PIOVAN (Università di Pisa)  
Francesco PISELLI (Università di Parma)

- Mauro PISINI (Pontificio Istituto di Musica Sacra)  
Fidel RÄDLE (Università di Gottinga)  
Enrico RENNA (Liceo “Panzini” di Napoli – Accademia Vivarium  
Novum)  
Zoltán RIHMER (Università di Pécs)  
Giancarlo ROSSI (Fondazione Latinitas)  
Giovanni ROSSI (Università di Verona)  
Lucio RUSSO (Università di Roma Tor Vergata)  
María de Lourdes SANTIAGO MARTÍNEZ (Università Nazionale  
Autonoma del Messico)  
Wolfgang SCHIBEL (Università di Mannheim)  
Massimo SCORSONE (Università di Torino)  
Youm SEONG (Università “Sogang” di Seül)  
Cajsa SJÖBERG (Università di Lund)  
Kurt SMOLAK (Università di Vienna – Corpus scriptorum ecclesiasti-  
corum Latinorum)  
Aleksej SOLOPOV (Università “Lomonosov” di Mosca)  
Giorgio STABILE (Università di Roma “La sapienza”)  
Martin STEINER (Accademia delle Scienze della Repubblica ceca)  
Wilfried STROH (Università di Monaco di Baviera)  
Andrea SUGGI (Università “Ca’ Foscari” di Venezia)  
Diego TOIGO (Università di Padova)  
Terence TUNBERG (Università del Kentucky)  
Cesare VASOLI (Università di Firenze)  
Dominique VIAIN (Università “San Pio X” di Parigi)  
María Patricia VILLASEÑOR CUSPINERA (Università Nazionale  
Autonoma del Messico)  
Vladimir VRATOVIĆ (Università di Zagabria)  
Akihiko WATANABE (Western university, Bellingham, Washington)  
Vsevolod ZĚL’ČENKO (Università di San Pietroburgo)

